William Macdonald of St Martins

PHINGALĒIS,

SIVE

HIBERNIA LIBERATA,

Epicum Ossianis Poema,

E CELTICO SERMONE CONVERSUM,

TRIBUS PRAEMISSIS DISPUTATIONIBUS,

ET SUBSEQUENTIBUS NOTIS;

BENIGNEQUE ANNUENTI,

AUGUSTO FREDERICO,

Serenissimo Sussexiae Duci,

DICATUM.

AB ALEXANDRO MACDONALD.

Edinburgi:

TYPIS MANDAVIT JOANNES MOIR:
VENDITUR EDINBURGI à LAING, à CADELL ET DAVIES
LONDINI, ET DUBLINI à CUMMING.

MDCCCXX.

ENTERED IN STATIONERS HALL.

AUGUSTO FREDERICO,

Serenissimo Sussexiae Duci,

ALEXANDER MACDONALD.

PULCHRA, Caledonio jamdudum condita versu,
Carmina fert animus latè vulgare per orbem:
Non injussa cano; mihi nec fiducia cedit,
Auspiciis firmata tuis, Auguste, secundis,
Regie dux, almum dat cui Sussexia nomen,
Quique genus sceptrumque ornas famamque Tuorum.

Nunc, age, diductas verbis numeroque Maronis,
Accipe Phingaleas laudes, quas ore sonoro
Saepius Ossianes cecinit convallibus altis;
Inde novos dabitur fòrs me, vir magne, labores
Vincere, virtutemque tuis extendere factis,
Brachia Telluri quà porrigit Amphitrite,
Dum vaga saecla reget Coelus, dum sidera pascet.

Crieff, Idibus Maji
MDCCCXX.

PRAEMISSAE DISPUTATIONES.

Ossianis conversurus Phingalèiden, paucisque ego contentus lectoribus, tria praefabor. Primum de vetustate disseram poëmatum, quae tribuuntur Ossiani; deinde de Phingalèidos dicam genere, contendamque esse pulcherrimum; exponam denique quid de optimâ sentiam interpretatione, Latinisque condendis versibus.

I.

Ossianis poëmata primus Anglicâ solutâque oratione vertit, superioris saeculi annis 1760, 1761, Jacobus Macphersonus. Nec mora, per Magnam Britanniam Hiberniamque avidissimè lecta sunt. Hinc in exteras derivata gentes, summis per Gallias, Italiam, Germaniamque laudibus efferuntur.

Quod autem diu multùmque fuerat optatum, quodque unum ad exortam de Ossiane pacandam controversiam maximè pertinebat, effectum tandem aliquando fuit, sollicitantibus viris clarissimis, inprimisque Joanne Macgregorio, equite, cujus est immortale decus. Londini namque prodiêrunt in lucem, anno R. S. 1807, ipsamet Gaëlica, sive Celtica poëmata, cum Latinâ singularum vocum interpretatione; additaeque fuerunt hae disputationes, queis omne sublatum, vel minimum, de vatis Caledonii vetustate dubium videatur. Quae fusiùs per primum tertiumque tanti operis volumina tam lucido disseruntur ordine, tam mirâ doctrinâ dicendique robore, in rem congeram meam; ac posteà ostendam nullius esse momenti, quae ab adversariis objiciuntur.

Si quis Æneiden sibi, aliive nunc vindicare vellet, totus reclamaret orbis terrarum, quaquà notum est nobile hoc poëma; hominisque novi insanum testaretur ausum. Nec secùs reclamant plurima, eaque gravissima, per omnes Caledoniae fines, vehe-

menterque obstant, ne Anglico interpreti, tanquam conditori, tribuatur quod vulgatum est Ossianis nomine opus.

Reclamant, quae proprio extulisse penu constat Jacobum Macphersonum; quorum unum funestavit Mortis nomine, alterum speciosè Monticolam appellavit. At ea tam rudi conscripta sunt Minervâ, ut plerosque lateant, atque ab omnibus prorsus contemnantur. Nec aliter sentiendum, sentiuntque quotquot sapiunt, de hominis deperditâ in Homero reddendo Anglicè operâ. Quae verò è Gaëlico transtulerat, magno in honore ubivis gentium habentur.

Reclamat Gaëlicum exemplar, propriâ Macphersoni exaratum manu, quod ubique leni fluit agmine, sibi optimè cohaeret nitetque. Anglica porrò interpretatio non solum laborat plerùmque, anhelatque impedita, veluti si quis adversum conscendat clivum, sed et plurima prae se fert in antetypum nullatènus convenientia, immo maximè disjuncta et contraria. Hinc Anglicum interpretem,

licet natione Scotum, saepiùs non intellexisse quae vertebat, ostendit Thomas Rossus, exponendo primum Phingalèidos librum; itidèmque passim doctus vir ille, qui Gaëlica haec omnia scripta, a Macphersono tradita, totidem Latinis explicat verbis. Si laborandum nobis est aliquando, si multùm sudandum, algendumve, ut aliorum assequamur mentem, tenebris obvolutam, quae nostro conficimus Marte, facilè attingimus.

Reclamant omnes, qui, comites additi Macphersono, cum ipso in conquirendis Ossianis carminibus, excipiendis ex hominum memoriâ, transcribendis, et explicandis operam navârunt.

Reclamant, quae conquisivit cultissimo vir ingenio et fide integerrimâ, Joannes Smithaeus, eorum similia, quae interpretatus fuerat Macphersonus. Sunt quidem alia prorsus, sed eòdem respiciunt, eundemque ducunt spiritum.

Facies non omnibus una,
Nec diversa tamen, qualem decet esse sororum.

Immo ex his, quae ediderat Macphersonus, inveniebat plura Smithaeus, licet haec non insequeretur.

Reclamat initum anno 1739 a Ministro Popeo consilium colligendi carmina Ossianis. Reclamant maximè, quae conquisiverat Joannes Farquarsonus ante annum 1745, ac literis mandarat, secumque Duacum detulit. Haec autem venerandus senex, Scotorum Duacensi praepositus collegio, cum iis conferebat, quae posteà Macphersonus protulit Anglicè; ac plerumque convenire testabatur.

Reclamant Caledoniae montes, flumina, valles, arces, antra, hisque similia; quae post hominum memoriam ad hunc usque diem nominibus notantur Phingalis, Ossianis, Cuchullinis, aliorumque heroum, quos hisce mistos carminibus legimus.

Reclamant quotquot rerum nostrarum habemus antiquos scriptores. Barbourius enim, Boethius,

Buchananus, Leslaeus, Gavinus Duglassius, Hailesius, Lindseius, et Nicolsonus, haec sibi Ossianis carmina nota fuisse sat significarunt.

Quid moror? Reclamat vel tota Caledonia, quae, nubem obtendens spectatissimorum testium, qui cogniti planè sunt ex his gravissimis epistolis, undique ad Blairum, Edinburgi degentem, hac super re missis, Ossianis opus, diu sibi notissimum, Macphersono, aliive cuivis adscribi homini novo non dat, non sinit, non patitur. Obstupuêre itaque nostri, cum primùm dubitari coeptum, utrum, quae sermone donarat Anglico Jacobus Macphersonus, vetusta, recentiorave forent carmina. Nec mirum, siquidem adhuc pueri his audiendis oblectabantur ipsi, longasque ducebant noctes; adolescentes autem facti his acuebantur ad fortia; senesque solabantur taedia senectutis. Hinc id omne dubii in homines rerum nostrarum prorsus ignaros, atque infestis se erga nos agentes animis refuderunt.

Primus interpretem, quasi impudentissimum mendacem, invasit Samuel Johnsonus, vir Anglus, litterisque Anglicis multùm exercitus. Hujus institit vestigiis Shavius, Scotus, ex insulâ oriundus Araniâ. His fuerat, sub initium, fòrs condonandum, donec res fuisset ad veritatis trutinam revocata. Infestior adhuc, licet simulàtius, subsecutus est Micolumbus Laingius, vir Orcadicus; qui eò devenit, adeoque omnem abjecit verecundiam, ut anno 1805, Ossianis opera vulgarit nomine Macphersoni, atque hoc suum facinus ratiunculis quibuslibet defendere nitatur. En Triumviratus, Ossianis famae, si minùs noxius, certò tamen hostilis aequè ac Romanae Reipublicae fuerunt Octavianus, Lepidus, Antoniusque.

Non est cur pluribus cum duobus primis agam; quorum alter, Johnsonus nempè, montanus ut aper, dentibus infrendens, in Scotos Scoticumque omne ferebatur. Ipse etenim palam significavit se, nubibus obvolutum livoris, tempestatibusque odii plusquam civilis abreptum, aberravisse veritatis tra-

mite, quum in Macphersonum, ipsiusque populares debacchatus est. Ajebat is Caledonum eloquium rudissimum esse, ipsos omnino barbaros, ac nihil, nisi crassè, mente concipere, nihil, nisi crassè verbis enunciare. Quis vero non intelligit hominem de incognitis protulisse judicium? Nil enim scire se Gaëlicè fatetur. Contendit nullum ingenii egregium opus potuisse confici sine litterarum adminiculis; quod quàm falsum est, ut ex aliis pluribus, sic illustri patet exemplo Homeri, qui nihil scripsit, cujusque Rhapsodiae diu post ipsius obitum recitatae sunt, donec has demum in Graeciam intulerit Licurgus; Solonque, ac Pisistratus, hujusque filius, Hipparchus, in eam redegerint formam, quam admiratus est saeculorum ordo. Nullibi extare Gaëlica poëmata tubâ canebat. Prodierunt; instructum ut agmen, aperto stant campi aequore; mihi, aliisque oblectant animum. Cessit e vivis Johnsonus, suos jam passus manes. Cedat acie Shavius, qui se inde cessurum promiserat, si quis vel digito quodvis monstrâsset Gaëlicum exemplar poëmatum, quae Ossiani vindicabantur.

Ad te nunc convertor, Laingi. Non mihi est Herculis robur; at in te jaculabo telum sat penetrabile. Attolle, si vis, clypeum; ac scito in hoc unum à me dirigi oculorum acies, ut, quae vulgarat Macphersonus, dixitque a se conversa, quopiam probatissimo suffragante teste, poëmata Ossiani, veteri Caledonio vati, tribuantur. Jam verò tota Caledonia, cui quidquid hujus rei est, fas erat uni cognoscere, facta mihi testis suffragatur. Verte te in mille facies; transfixus hoc meo telo jaces. Tradidit Homerum Graecia, Virgilium Italia, tradit item Ossianem Caledonia.

Perpendere juvat, quae sparserat adversarius, antequam stratus fuerit humi. Animadvertendum primùm, si quid denegetur, quod testibus optimis solummodo confirmari oportet, ac jam confirmatum est, frustrà, qui negat, iis niti, quae mentis penu, per inania vagantis, avocantur. Nam quae indè petuntur, nil roboris habent, nil splendoris. Corporum fieri ullum motum posse negabat Zeno; cognoscere nos quaevis extare omnino corpora Berk-

leìus; quidvis esse praeter unam ingentem molem, mente praeditam, atque in immensum facies variantem, Spinosa; atque haec illi miris astruere subtilitatibus conantur. Qui porro iis refellendis immoraretur, operam perderet oleumque: nec video quì tandem ad se revocentur, nisi eo validissimo argumento, quo, magnus ille Dialecticae magister, Aristoteles docebat talia delirantes oportere redargui.

En nunc Achilleum, si superis placet, nostri philosophi argumentum! Quae tribuuntur Ossiani carmina, non ejus esse possunt; itaque non sunt. Si, quod primum hîc est, concedatur, non est cur postremum negetur. At mihi fas totum hoc, quantumcunque est, convertere. Haec carmina sunt Ossianis: quis ergo neget illius esse potuisse? Dialecticam utrinque videmur callere. Jam ego rem confirmavi meam; eoque usus fui disciplinae doctrinaeque genere, quo rejecto, actum est de Homero, Virgilio, aliisque quibuslibet auctoribus, qui quâcunque terrae plagâ, quovisve tempore flo-

ruerunt. Adversarius autem meus, latissimè vagatus, digladiatur. Ait enim : quae deferuntur Ossiani carmina, miram depingunt morum amoenitatem, quum constat ex Romanis Scriptoribus, ut Ammiano Marcellino, ipsum, siquidem extiterit, fuisse cum omnibus suis immanitate barbarum. Quì potuit ergo haec condere carmina ? Proh hominum fidem ! ubinam gentium sumus ? Quae quantaque morum barbaries ubique viget ? quàm multa perpetrantur immanissima per omnes cultiores Europae terras, quae Divinas Christi profitentur institutiones ? Priscos omitto Graecos, ipsorumque clarissimum poëtam, Homerum ; festino Romam, cujus copiis maximè fidit Laingius. Eleganter de Romanis dixit Buchananus noster.

Roma armis terram, ratibusque subegerat undas,
Atque iidem fines urbis et orbis erant.

Hinc superbierat Roma ; illiusque scriptores, ut Ammianus, aliique sui similes, qui nunquam Caledoniae oras populosque viderant, quique, quascunque gentes Romana dominandi cupido nondum fre-

gisset, barbariae immanitatisque notis designabant, non omnem merentur fidem, si quid durius in majores nostros scriptum reliquerunt. Quae scribebant, ab iis didicerunt, quos nostris nos armis perterrefecimus.

Fortia Trojani gesserunt Romulidae; fortia quoque Phingalei Caledones. Quo turbine fas nobis contorquere hastas Romanae expertae sunt Legiones. Aggeribus murorum extruendis, et à mari ad mare trans hanc insulam diducendis frustrà laborarunt; frustrà nostrorum montium fauces occupavêre, praesidiisque muniêrunt. Irruimus, perrupimus, dejecimus haec omnia; magnificè vicimus. Qui per Meridionales plagas in id devenerant inertiae, ut a Romanis passi sint debellari, assuetique jugo conquieverint, nostris se dedere gladiis, aut fluctibus se amandare devorantibus compulimus. Ex Hiberniâ reversos solo animisque recepimus nostris. Indè Kennethus, rex noster, in Pictos movit arma, debellatosque inter sui posuit sedem imperii. Hostiliter in nos incursantes, Danos man-

dabamus tumulo, ut pelago prodibant. Ex Angliâ, Normaniâ, et Belgio profugos civitate donavimus; atque hi in unum nobiscum populum coiêrunt. Abs extremis Carnabiis trans Bodotriae Glottaeque aestuaria ad usque Northumbrios imperium protulimus. Quid patriae possit amor, sanaeque studium libertatis, demonstravit eques noster, praestantissimus Vallas; quid mens invicta malis, rex Brussius. Tot alma tandem regum progenies, Jacobus Sextus, suscepit Britanniae totius, atque Hiberniae, insularumque adjacentium gestandum dextrâ sceptrum; hodièque gestat sanguis Caledonius,

> Juraque dat populis, quaquà sol aureus orbem
> Respicit.

Invictas quìd gentes traduxit Roma, omnium ipsa bellua immanissima, quae vel ab uberibus fota fuerat sanguine, creverat in immensum cruore satiata, tot proculcârat populos pede cruentato, toties in se suaque saevierat viscera? Haec tamen turbulentissimis enixa est temporibus M. T. Ciceronem, cujus animum non capiebant orbis angustiae;

blandum enixa est Virgilium, spem alteram. Quidnì ergo genuerit Ossianem vetus Caledonia, qui suis praestaret carminibus, ut, quorum victricia repulimus tela, nec ipsis admodùm ingenii splendore cedere videremur?

Respublicae, regumque ditiones maribus, fluminibus ac montibus definitae sunt, veluti quibusdam metis; posuitque Deus florentissimis quoque regnis statuta rerum tempora. Non his tamen limitibus terminantur virtutes ac vitia. Nobiscum enim pullulant, ubicunque sumus; humanumque genus in aevum sequuntur. Poëtarum autem est, quos laudant, magnificè laudare; omniumque est ab iis se avertere, quae minùs in amicis fulgent. Si quid domi militiaeve niteat, atque in unum bellè conferatur; et ab eo, cui tribuitur, omne recidatur minus habens decoris, en! mores, quos describit Ossianes; en illius Phingal, quem praestantissimo similem numini depinxit! Quidnì venerandus senex, strenuus bellator, natus poeta, Bardorum imbutus institutionibus, memorans, quae cognati,

quae pater, insignis rex, quae filius, quae fratres, quae dilecti sodales gesserant, et quorum pars magna fuit ipse, haec exornarit? tales heroas ad coelum laudibus extulerit? jucundissimâ raptus animi recordatione in ea, queis ipse studuerat juvenis, in eos, quos adamaverat, in eximia facta, quae cum iis perpetraverat, superstes sic senium, sic caecitatem, sic suorum desiderium solatus sit? Quidnì praeclara sentiret, easque virtutum morumque exprimeret opiniones, quas tantopere admiramur?

Contendit dein Laingius non potuisse Ossianis poëmata, vetusti nempè vatis, ad nos usque pervenire; quum nec ab initio, nec post plurima saecula fuerant litteris mandata. Quod scriptum est, stabile ac permansurum vocat; quod voce tantum traditur, Laethèis delendum aquis committi dicit. Verùm haec hominis doctrina vel adducto jam retunditur exemplo Homeri, cujus Rhapsodias per multa servavit saecula sola recitatio. Quem porro habet testem Laingius, ubi asserit Ossianis poëmata nec ab initio, nec plurima post saecula fuisse

litteris mandata? Non omnino latebat Celtas scribendi ars, quàmvis arserint magis gerere quae sunt fortia, quàm scribere: sed et constat eos optimos viros, quos Roma, facta jam Christianae veritatis Magistra, sacris imbuebat institutis, ac, veluti gentium omnium Mater amantissima, legatos praeceptoresque ad varias mittebat nationes, litteris abundâsse. His abundavit S. Patricius, Hiberniae apostolus; his S. Columba, sociique ejus, qui ex Jonâ insulâ face Evangelii Caledoniam collustrarunt; tantàque se doctrinae famâ, morumque gesserunt integritate, ut, quas sibi, per nostras et insulas et continentem terram, posuerant sedes, pia posteritas horum insignitas ad hunc usque diem nominibus, templa Deo O. M. sacrârit. His abundavêre nostri Praesules, Presbyteri, et Monachi. Quidnì unus, aut alter, pulcherrimis allectus Ossianis carminibus, haec litteris potuerit, ac voluerit, concredere? Semper enim hoc egit Ecclesia, ut, si quid eximii in ulla doctrinâ, si quid in artibus liberalibus, si quid omni terrarum orbe, coelive, quod videmus, est ambitu, id nobis optet

proponere. Sic namquè ad multò praestantiora aestimanda tollimur; hâc sapientissimâ eruditi disciplinâ, quae nunc spe praesumimus amplissima, tandem aliquando in Dei mente, quasi fonte lucidissimoque speculo aeternùm, atque inenarrabili cum gaudio, intuebimur.

Haud ignoramus quàm multa nobis abstulerat vetera scripta vastator ille, Anglorum rex, Eduardus Primus; quàm multa plusquam civilis ille furor nostratum, qui, saeviente perduellionis procellâ, patrum pertaesi sacra, novisque rebus studentes, antiqua monumenta flammis abolenda decreverunt; quàm multa Cromuellii tyrannis; quàm multa denique Anglici dux exercitûs ille, qui Britannis restituit rem; quaeque inde, ubi in Scotiam, jubente rege, Carolo Secundo, nave remittebantur, absumpsit pontus.

At licet, qui primus Ossianis carmina litteris expressit, fuisset Joannes Farquarsonus, non erat cur nos usque non potuerint advenire. Qui

stabile putant, quod scribitur, non item, quod voce traditur, haud animadvertunt litterarum stabilitatem hominum inniti studio, quasi unico fundamento, quo semoto, totum corruit aedificium. Nec enim litterae quid nobis ex se significant, cum mera sint signa, quibus homines, conventione factâ, voluerunt quid indicare. Hinc, si per centum circiter annos neglexisset humanum genus conscriptos jam libros, hi, veluti lapides, semper conticerent; nihilque indè disceremus; quoniam, si ignis et aqua tempusque rerum edax his pepercissent, non ampliùs tamen intelligerentur. Proindè, si scriptis, vocibusve erudimur, id hominum curae, semet excipientium, doctrinaeque debemus. Quare, si majores nostri in id incubuissent, ut, quae vocibus hauserant ipsi, ad seros usque nepotes transmitterentur, hoc omninò efficere potuerunt.

Librorum nos multitudine obruimur; ideòque nescio quâ memoriae hebetudine laboramus. Fidimus libris, memoriam negligimus; quam tamen discendi ardore, ubi nil aliud suppeditat, mirum in

morem augeri notum est. Caledonias autem gentes Hibernasque, ut missos faciam reliquos Celtas, versibus, et suorum laudibus exarsisse testatur historia; itemque has inter extitisse hominum ordinem, cui fuerat id muneris mandatum, quique summo habebatur honore, atque ad supremum duravit saeculum. Praetereà nostri vel à Phingalidarum aevo semotissimam ab aliis gentibus agebant vitam, parvo contenti; diem venatu exercebant; fidibus, cantu, jucundis narrationibus longas fallebant noctes; nec erat, cur quidpiam innovaretur.

Post annum tandem 1748, mutari coeptum. Hoc nempe anno abolitum est, quo nostri proceres inter suos utebantur, jus carceris et sanguinis; atque deindè cum reliquis Britanniae populis in unum coaluimus. Hinc cultior quidem soli facies; innumerae sunt apertae viae.

Quà priùs ipse gradu vix nitebaris anhelo,
Nunc rapidis teritur semita pressa rotis.

Undique viridantes assurgunt sylvae; manu ca-

vatae rupes, vastisque repletae aquis, nostras, hinc indè remeantes, trajiciunt naves; ovibus abundant montes, re frumentarià valles, armentis prata; expediuntur merces; cumulantur divitiae; amplae struuntur aedes. At quàm dispar gens nostra! Heus ubi nunc almi proceres! ubi pietas! ubi prisca fides, aureaque simplicitas! Saevior debacchatur armis luxuries, majorumque prorsus eliminavit delicias. Non resonant citharae; jam vix ipsa placent carmina. Quâ tot potentissimi utebantur quondam populi, quâ dirigebat acies Phingal, quâ canebat arma virosque Ossianes, contempta lingua dimittitur. Peregrinis hiscimus vocibus, peregrinis inhiamus moribus, vestibus, cibis, potibus, supellectili; litterulis studemus; vix mundum circumspicimus; in pejus usquè homines ruere videntur. Gratulor itaque prius Ossianis carmina in varias fuisse conversa linguas, quàm tanta praevaluerit rerum commutatio.

His ejectus propugnaculis, qui celebrantur ab Ossiane heroes, queisque tota resonat Caledonia,

bonus agnoscit Laingius; ac plura à nostro vate memorata facta, quibusdam exilibus nulliusque momenti carminibus, dudum atque adeò per Hiberniam notis, circumferri fatetur. Ex his autem vult, tanquam elementis, consuta fuisse à Macphersono quae nos Ossiani carmina vindicamus. Verùm, quandoquidem hoc gratis dicitur, jure optimo negatur. Quam multa ex Homero et Virgilio desumpta, centonesque dicta, novimus? Quis tamen ex his in unum congestis, prodiisse dixerit Homeri aut Iliaden, aut Æneiden Virgilii? Quis non videt, ob facilem è Caledoniâ in Hiberniam trajectum, atque inde commeantium multitudinem, fas quibusdam fuisse rudibus Hibernis, eodemque ferè nobiscum utentibus eloquio, nonnulla nostri vatis discere carmina, eaque pervertere, ut, pro re, diversissimis natâ temporibus, prisca miscentes novis, sacra profanis, digna indignis, suos quoquomodò laudarent? Potuit ex eodem fonte quis nostrûm nonnulla in rem derivare suam.

Perstat adhuc adversarius, contenditque hisce

mista carminibus inveniri plura, eorum similia, quae in S. scriptoribus, in Homero, in Virgilio, poëtisque Anglicis leguntur; atque indè novus hic vult sophus novum esse hominem Ossianem. Hos quidem auctores insano evolverat Laingius labore; pluraque inde in medium protulit. At nimio fervore rem suam persecutus est:

Accessit fervor capiti, numerusque lucernis.

Vidit is, quae praeter se nemo; omnia ferè vidit gemina,

Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus,
Et solem geminum, et duplices se ostendere Thebas.

Quìd si concedam aliqua inveniri similia? Dicit Alexander Pope, in Homero, in quo erat is versatissimus, nonnulla esse eorum similia, quae in sacris litteris legimus. Quot coelum terramque, atque hominum describunt mores, quaedam habent ejusdem generis; et habere necesse est. Ex eo nam derivant fonte, qui nìl minùs communis est, quàm mens, quae cogitat, spiritus, quem ducimus, vitaque, quâ fruimur. Non legerat Ossianes Haebreas litteras, non Graecas, non Latinas, Anglicasve. Sed

prospectum legit mundi, maximum librorum unum, cui animos oculosque admoverant, quotquot posteris quid memoriâ dignum tradiderunt. Si quid ex Ossiane promatur, quod ipse suo sub coelo discere, suoque proferre more non potuit, victas do manus. At nihil tale monstratum est; aut unquàm monstrabitur. Quum dicit Laingius comparationem carminum cum Geniorum symphoniâ, colentium colles, quamque legimus Phingalèidos L. V. traductam fuisse ex Miltono, risum movet viro Caledonio. Haec enìm popularis fabula nostris vel lippis et tonsoribus, quin et vetulis est notissima, quae nec Miltonum extitisse norûnt. Hinc, qui talibus oppugnant nostri poëtae altam vetustatem, ad mera confugiunt figmenta; rem non attingunt, utpotè qui, longius digressi, Phaetontis ut equi, magnum per inane expatiantur.

Jamqui vale, mi Laingi: si fòrs resipueris; si te poeniteat; si reum tete confiteâre, fas tibi mecum in amicitiam coire. Solemne namque fuit, adeòque est Caledonibus,

Parcere subjectis, et debellare superbos.

Dic ergo temet insipienter egisse, qui Gigantis instar voluisti omnibus Caledoniae agminibus exprobare; dic rabiem Lochlinidarum, tuorum majorum, quos toties perfregêre Phingalidae, ad seros deductam nepotes, in te, advenâ Orcadico, annales volutante, tot saevis colubris hydrisque pullulasse; dic usque adeò te memorabile aliquod affectavisse nomen, ut non fueris dedignatus vel Herostratum imitari, qui sacrilegas injecit manus facesque Ephesino Dianae templo; quique id unum suo assecutus est auso, ut, quoties nostras subit mentes, toties immanissimi sceleris recordemur.

II.

Ossianis confirmatâ vetustate, dicam de Phingalèidos genere et pulchritudine. Plura fuderat is carmina; horumque aliqua ad nos usque devenêre. Faciem variant; sed cognata facilè agnoscuntur. Ex his unum, Temora nempè, Phingalèide majus est, reliqua minora. Phingalèiden, quasi specimen, placuit vertere. Multa in singulas partes, seu libros, notaturus, sat modo, brevitati studens,

habeo hujus poematis materiem, personas, eloquiumque delibare.

Poëmatis epici materiem, seu argumentum concedunt omnes, qui talia profitentur, unum esse aliquod opportere insigne facinus, quod per varios ritè connexos casus, certumque temporis spatium, unius aut anni, aut mensis, aut aliquot saltem dierum, ad finem usque perducitur. Quae minùs sunt ergo necessaria, ac majori tantum inserviunt explicationi decorique, vel ab ipsâmet poematis actione vacuo implendo intervallo, qualis nox est, in episodia rejiciuntur. Achillis canit iram Homerus; Æneae adventum in Italiam Virgilius. Ex his primus, pro mirâ, quâ pollebat, inventione, congessit in argumentum plurima suum. Sed nimis luxuriat, totusque in pugnis est, ac diris funeribus. Hunc alter, in Æneide imitatus, amplissimum percurrit campum; et Odyssèam sex prioribus libris, Iliaden sex posterioribus exprimit. Simplex uti est ac nobilis Iliadis Æneidosque materies, sic quo-

que Phingalèidos, Hibernia scilicet per Phingala servitutis jugo liberata.

Haec Phingalèidos praecipua materies in partes dividitur tres. Cum Cuchullin, Cormaci Secundo, Hiberniae regi, adhuc puero, custos designatus, ad Turam sedebat, Suarena, Lochlinis, seu Scandinaviae regem, hostiliter cum ingenti appulisse classe didicit. Impendentis hujus discriminis jam certiorem fecerat is Phingala, Morvenis, seu Caledoniae regnatorem, qui, non minùs quàm Cormac, communem à Trenmore gentis repetebat originem. At, praecipiti actus consilio, cum Suarene iterum iterumque in Lenae planitie congreditur, ante Phingalis adventum; funditurque demùm, ac mirum in modum tristatur. En poëmatis non sat secundum initium! Hîc adventat Phingal, qui Suarenis copias bis in eâdem planitie frangit; ipsumque, vir viro congressus, debellat. En medium! Quintâ, post initam poëmatis actionem, die liber in regnum remittitur rex Suaren, aeternam pollicitus amicitiam Phingali, qui, Cuchullina

consolatus, laetus cum suis mox in patriam revertitur. En faustissimus finis!

Huic autem uni praeclaroque completo facinori plura, quae humanitatem, amicitiam, tenerosque spectant amores, magnâ cum arte innectuntur. Non etenim nudam texit veritatem Ossianes; sed, multis undique conquisitis, rem auget ornatque suam. Hinc optimâ naturâ duce, quas de poëmatis epici materie leges doctus praescripserat Aristoteles, exequitur.

Quidquid sit de eorum sententiâ, qui hâc super re contendunt, ad epicum conficiendum poëma, priùs doctrinam aliquam excogitandam, quâ mores dirigantur hominum, deindè factum aliquod cum suis adjunctis esse perquirendum, quo illustrata haec inculcetur, non sic egit Ossianes noster. Tali fòrs tramite unus, alterve veterum poëtarum suos pertulit gradus; tali fòrs aliquis è recentioribus: non item Ossianes. Raptus amore poëseos, raptus in cognatos pietate, rerum admiratione raptus,

quas gesserant hi, atque ipse, comes additus non infimus, gratumque facturus multis, hinc inde convenientibus ad insignem audiendum Bardum, regis praestantis filium, jam senem, omniumque, quos adamaverat, afflictum funeribus, carmina dicebat. Hinc tota ejus poëmatum repetenda ratio, sonusque. Hinc summam adjungit dignitatem summae querimoniae. Cursu Homerus ruit rapido; quandoque etiam dormitat. Lugubris ut est Ossianes, grandior, verendus ceu rex, attollensque sublime os, duce semper sapientià, spatiatur.

At, licet non instar Socratis consederit, ad hominum informandos mores auctor, ex Phingalèidos nexu haec magna consequitur veritas: corporum robur debellat vis; ferocia pectora lenit modestia. Singulis autem expositis casibus aliae aliaeque perpulchrae depinguntur veritates.

Quod ad epici poëmatis attinet personas, haec forsan monenda forent. Hae, velut iridis colores, coelique sidera, discriminentur; quaedam notentur

flagitio ; sint quae magis, quae minùs niteant ; una, ceu sol, cunctis fulgeat induta virtutibus ; omnes denique sibi constantes agant, similesque sui loquantur. Iis, quae ipsarum turpantur notâ, alienàmur a vitio ; in iis, quae minus habent splendoris, nosmet agnoscimus ; atque, ut in speculo, perspicimus quid à nobis sit amovendum. Cum in illo autem, qui communia sentit incommoda, sapienterque perfert, intueamur, tanquam in tabulâ, egregiè depictam justitiam, benevolentiam, atque clementiam, vivâ hâc, placidissimâque gaudemus imagine ; virtutemque ipsam admiramur, diligimus, studemus imitari.

Quas praecipuas adduxerat in scenam personas Homerus, optimè distinxit ; suas item Ossianes. Non jam in Phingalèide est eadem personarum facies ; sed mirè variant hae formam ; sibique, ortus ut occasui, è regione opponuntur. Ossianis, ut Homeri, heroes maximi sunt omnes armis validi, sed suo quisque more. Magnus bellator Suaren est ; at ubique ferox, donec victrici tandem Phingalis

dometur temperantiâ. Turbine contorquet hastas Connal, vir animi prudens, placidusque. Praeceps in bella ruit Calmar; gloriâ militari maximè ducitur Cuchullin; is tamen rebus in adversis nimiâ premitur aegritudine. Pugnaturus amabilis effervet Oscar; decidens ut ingenti rupes pondere, blandus imminet Ossianes hostibus; terribilis est acie Gollus; at ductor est aliquantulùm invidus. Occurrunt Phingalèide plures etiam Heroides, cùm animi fortitudine, tùm etiam corporis formâ morumque conspicuae integritate: sunt et venerandi aetate ac carminibus Bardi, seu vates; verendi Manes, nocturni Lemures, aëriae Larvae, montium blacidi ac canori Genii, luce adoperti decoris. In hoc tanto concessu Phingal sol est.

Si valdè suas discriminat Homerus personas, est tamen ubi graviter pecat is, quando scilicet iis mores affingit. Non solùm enim Diique Deaeque ejus ridiculè inter se rixantur, Jnpiterque, Deum pater, atque hominum rex, ineluctabili subjicitur fato, quod nihil est, sed et heroes omnes notantur

quâdam immanitate. Divinus ille Hector, optimus civis, thalami consors amantissimus, tenellus genitor, Patroclo insultat jacenti, vulturibusque, dilaniandum, traditum iri saevissimè minatur. Quid de ejus principe heroe dicam, Achille? Impiger, iracundus, inexorabilis describitur. Attamen is fingitur amicos habere Deos, victorque murum patriae deruit, Hectora. Defensores aiunt Homeri ab ipso, sciente ac volente, talem fuisse descriptum Achillem. Hoc denegat nemo; at contra fas, contra sanam rationem quis ignorat? Nec hoc quis aequi bonique faceret, nisi jam anili teneretur Homeri superstitione; arasque ejus manifestis sacrasset erroribus.

> Scribendi rectè sapere est et principium et fors.
>
> Hor. *A. P.*

Non uti Grajus, aberravit vates Caledonius; nec ita sideribus effulgens coelum à tenebricoso terrae discrepat aspectu, prout Ossianes in pulchris effingendis moribus ab Homero. Exulat Fingalèide avaritia; exulat convicium; omnis indecora ex-

culat levitas. Animos hîc nectit amicitiae usus, amorumque dulcis castimonia. Sola dominatur virtutis majestas; atque huic comitas, laudum cupido sana, et prisca simplicitas astipulantur. Mensas extruit hospitalitas, ipsosque adsciscit hostes. Debellantur superbi; parcitur at victis, queis etiam amica protenditur dextra; quos caecîdit gladius, decorat laudibus, elegis, sepulchro humanitas.

Quem facit iracundum Homerus heroa, huic iras magnoperè aggerat; nec minùs Ossianes, quem voluit, effingit optimum. Sub altum Phingalèidos initium talis tantusque eminet Cuchullin, ut illo vix major quis alius excogitari posse videatur. Sed multo id mane cavit Ossianes. Quem enim hic ipse Cuchullin, certior factus appulisse hostem, praedicat expectari virum, cui montibus in altis Caledoniae summa pertinet rerum potestas, armorumque laus? Phingala. Quem nam superbiens Suaren unum sibi fòrs virtute telisque parem fatetur? Phingala Morvenium. Quis

ille, quo sine nil magnum audendum iterumque iterumque monet prudentissimus Connal? Phingal. Cujus jam adventus infractis Hiberniae copiis unica spes est salutis? Phingalis. Quem adventare videns Suaren, miserisque instans Hibernorum reliquiis, stat, retroque fert pedem? Anne Phingala? Quis, Golli obtemperans ambitioni, fidentis praeclarum aliquod efficere, si summa sibi pugnae demandetur, acie ad vicinum secedit tumulum, fugientibus occurrit Caledonibus, hostilem fundit exercitum, Suarena sternit humi, victumque tradit custodiendum? Ipse quidem rex Phingal. His ergo prominentibus notis facilè dignoscitur Phingal hujus heroici poematis bellator maximus.

At hoc, quantumcunque, parum est. Ut primùm, sub adverso progressum clivo, Suarena suspexit, ipsum ad sua vocat benignus convivia, ejus recordatus sororem, Agandaecam, quam juvenis arserat: dumque sub noctem quiescit, coram stat ejusdem Agandaecae Umbra, suam proximâ trucidandam die gentem plorantis; atque his ille lacrymis

imo sub pectore turbatur. Fervente adhuc pugnâ, Mathonem, longaevum heroa, suâ dejectum dextrâ, respicit, ac tandem agnoscit. Studuerat is Agandaecae, caesamque à barbaro luxit genitore. Iniquo percellitur casu mox Phingal, meritosque indicit viro honores. Lochlineum videt Orlam, jam fessum vulneribus; hunc super incumbit, sanguine singultantem miserans; mortuum decorat lamentis, laudibus, sepulchro; parcendumque ferro suos admonens, revertitur ad Suarena, quem non ut hostem, non ut immanitate barbarum aliquem, non ut devictum, sed ut virum fortissimum, cognatum, fratremque allocutus Agandaecae, solatur; et mansuefactum tandem, aeternaequae amicitiae vinclis sibi astrictum, in patriam remittit. Tantum potuit Phingalis modestia, tantum in Agandaecam fidissimus amor!

Senior est Phingal, illiusque cani disperguntur flamine; paterfamilas est, generosam habet filiorum cohortem. Horum amittit natu minimum, Roenam, primo virentem juventutis flore; effunditque

gemitum lacrymans; atque indè pater deprehenditur. Rex est, sunt et alii reges. At populum beat suum rex Phingal. Durum arbitratur armis contendere; néc, nisi justitiâ vel charitate motus, gladium aptat lateri; neve ipsi quis inimicus est, quin bellum humanitati jam indixerit. Si quid vel in hoste videat egregium, id reveretur, ut in amico; si quem oporteat è vivis tolli, vehementer angitur. Prae cunctis rex hic sapit domi, sapientiamque docet, placidum obvolvens os; nec ab eo quisquam discedit moerens. Quicunque ubivis gentium rebus deprehenditur in arctis, amicum habet Phingala; huic obvius it Phingal, hunc mollibus affatur dictis, hunc recreat. Cum talem se agat, nìl inanem captat gloriam, famâque ad usque sidera notus est.

Hunc ego mente regem, vel absentem, colo; hunc, à me nunquam visum, adamo virum optimum. In hujusmodi effingendo heroe alii, Christianae face destituti religionis, intenderunt nervos poëtae; sed incàssum. Elicuerunt enim quendam

per nubila vagatum, quem vix animo, vix corde, vix oculis prosequimur. Talis est Virgilii Æneas, quem, si quandoque admiremur, nunquam diligimus. Hîc ergo cedat Caledoniae Graecia; cedat Italia. In suo principe procudendo heroe it victor ovans Ossianes.

It felix et eloquio, seu dictione: absque ambagibus in medias prorumpit res suas, haud secùs ac notas: plures omittit, quas immisceret alius; quae magis prominent, solas persequitur. Tacitè labuntur tempora; idque sentimus. Novus etenim dat sese conspiciendum aspectus mundi. Sic quoque Ossianes, quam tractat, defixus materie, parcus est verborum; rebusque ipsis procedentibus, ceu curru, provehitur. In illo itaque desiderantur orationis copulationes variae, transitionesque artis. At ordine quaeque suo res ab ipso proponuntur; hasque, se ritè excipientes, mentis acie cernimus. Hinc Ossiannis eloquium brevissimum semper est, maximè autem in funestis exponendis casibus ab-

ruptum; atque inde etiam multò majorem habet vim; magisque eo percellimur. Si magnus praecepsque fluvius, scopulis hinc illinc asperis coercitus, arcto ruat alveo, quidquid supernatat, raptat is; si per planitiem se fundat, facilè superatur. Quod timido navis, quà vectabatur, Caesar rectori dixit, pernotum est. Quid times? Caesarem vehis. Hoc pluribus torquet Lucanus; pulcherrimumque suâ simplicitate dictum, ultrò citròque explicitum, ceu fumus, abit in auras. Exuberat etiam Ovidius; illiusque divite venâ nìl movemur. Praelia, stragesque aeternùm canit Homerus, aliis aliisque novus vocibus. Omnia, quae suos quomodocùnque respiciunt heroas, venditat; quique legit, miserè defatigatur. Fas ampliare quidem, quae laeta rident. Verùm, si, quae grandiora sunt, quae gravitate plena, quae lugubria, qualiaque plerùmque profert Ossianes, in medium adducantur, expugnanda mens est, uno veluti facto impetu; aut secura stat. Haud aliter Ossianes nostrûm potitur: erumpit, ut fulmen; icti stupemus.

Indè accedit ejus eloquio plurima lux ; quò paucioribus enim nitidis exponatur aliquid verbis, eò faciliùs a nobis arripitur. Lucidiùs quoque loquitur Ossianes, vel quia non ea, quae pluribus rebus communia sunt, exequitur. Haec quidem meditantur philosophi ; non curant praestantiores poëtae. Namque est poësis quaedam pictura ; quae porrò sunt pluribus rebus communia, propriis nequeunt depingi coloribus, quoniam talibus omninò destituuntur. In iis itaque, quae singula sunt, suisque circumstant distincta signis, Ossianes penè semper versatur. Si mons dicendus, montem memorat Cromlam ; si fluvius, Lubara ; si sylva, sylvam Gormaleam.

Simplicibus utitur Ossianes verbis, aptisque epithetis ; tropis ac aliis longioribus abundat similitudinibus. Sic, qui terrae describendae dant operam, non in vocabulis toti sunt : conficiunt etiam tabulas, queis ante oculos positum unumquodque videmus regnum, majores montes, maria, insulas, lacus, flumina, vias. Hinc summâ cum animi volupta-

te amplissimum citò spatium percurrimus. Cum multus sit in imaginibus Ossianes, apprimè micat. Continuò illius secernimus coelum regionemque, heroas et heroidas; immo et animas, defunctas corpore, ipsisque quâdam jungimur necessitudine. Acervat similitudines Homerus, diducitque ultra rem: harum nonnullae sunt utique nobiles; humiles aliae. Ut plures ab Ossiane adhibentur, insignis est brevisque unaquaeque. Diis heroas comparat suos Homerus; Geniis Manibusque Ossianes suos. Similitudines tamen hic plerùmque à magno evocat orbis aspectu, quem videmus quotidiè, uti sole, lunâ, nebulâ, mari, scopulis, fluminibus. Sed et acutissimus in unâ eàdemque re, ut lunâ, faciem saepe locumque variante, multas propriae perspicit materiae imagines, quas ex nobis vix, ac ne vix quidem, attingeremus; illo autem docente, cum admiratione discimus.

Quòd si plurima complectatur paucis Ossianis oratio, fulgorèmque jactet undique, sublimis quoquè deprehenditur. Evehit enim ad omnia, quae

maximè suâ eminent dignitate. Unus fòrs est Ossianes poëta, qui vulgare nihil, vulgarive modo prae se fert. Si quid eximii sub imis haereat hominum sensibus, si quid in moribus pluris aestimetur, si quid in mundi prospectu percellat, moveatque animos, hoc Caledonius exequitur vates. In lacrymarum autem ciendis maximè dignis fluminibus crebrò immoratur. Quamvis enim in magnis sit totus, cujusdam unà, nescio quae, moestitiae dat gaudia; hisque mirè perfundimur. Cum Homero dirigimus acies; Virgilium jucundissimè audimus; in Ossianem mutamur ipsum. Quae sentit, sentimus; queis afficitur, afficimur; ubi flet, lubenter flemus, quod in optimo quidem poëtâ vel primum requiritur.

Haec, quae de Phingalèidos materie, personis, atque eloquio dixi, mente perpendat memor, qui hoc sat legit poëma; jamque ipsum, nil dubito, plurimi faciet; Ossianemque principibus comparabit poëtis. Si, quà ipse spatiatus fuit, minus sit amplus cultusque ager, id illius saeculo regionique

tribuendum aequus fatebitur rerum aestimator iniquitatemque temporis, et recitantium accusabit incuriam, si in Phingalèide detorta quaedam, suumque extra locum, fortasse videantur.

Hoc ubi mecum evolvissem, pergratum omnibus ubique gentibus, in Latinarum commune incumbentibus litterarum studium, me putavi facturum, si quà ipsis ea impertirer, vocibus numeroque Virgilii exposita, quae suos inter Gaelicè noster canebat Ossianes. Homero duce antiquissimas invisimus Grajorum urbes; horumque nobis opiniones, ritus, moresque varios domi militiaeque, ab ipso describi gaudemus. Res Italas, docente Virgilio, Romanorumque admiramur triumphos. Est autem Celtarum, antiquitùs latè dominantium populorum, Phingaleìs monumentum insigne, quod omnis, qui mentem humanam, diversis se plagis ac temporibus explicantem, avidissimè rimatur philosophus, inspiciat; et, quicunque poëseos est studiosior, volutare velit. Quamobrem in id me contuli totum, ut, nondum pro dignitate sat fideliter nitidèque evulgatum,

hoc poëma redderem Latinè, versuumque perscriptum illecebris undequàque emitterem. Quod itaque proposui tertium, nunc absolvendum; dicendumque superest quid de optimà sentiam interpretatione, Latinisque condendis versibus.

III.

Quod ad primum attinet, facem praetulêre mihi lucidissimam M. T. Ciceronis verba, quibus Orationes, quas duo Athenarum spectatissimi Oratores in alterutum habuerant, convertisse ex Atticis se testatur. Sic enim loquitur is in egregio suo opere de Opti. G. Orat. n. 14. Converti ex Atticis —nec converti ut interpres, sed ut orator, sententiis iisdem, et earum formis, tanquam figuris, verbis ad nostram consuetudinem aptis; in quibus non verbum pro verbo necesse habui reddere; sed genus omnium verborum vimque servavi. Non enim ea me annumerare lectori putavi oportere, sed tanquàm appendere.

De convertendis aliundè non eadem tamen est mens hominum. Sunt, qui aliena totidem verbis cupiant reddi; torquent alii, evertuntque adeo, ut vix tandèm exemplar agnoscatur. Utrumque vituperandum: hoc, siquidem, quam quaerimus interpretationem, ipsius exemplaris imitatio est in sententiis, ac simillima imago: illud porrò facilis, qui sapit, fatebitur. Est suum unicuique genti symphoniae genus. Hoc magno cum animorum motu pertentat cujusdam aures; ab aliâ iners et absonum putatur, ideoque rejicitur. Sic apud Caledones quaedam invenitur vocum natio, quâ ipsi ob longum communemque delectantur usum. At, si ex proprio tranferatur solo, totidemque enuncietur vocabulis, quae, à semet soluta, idem significant, ut insulsa prorsùs, et cum stupore, excipietur. Idem de omnium populorum dicendum est eloquio, quod, uti notissimum, non est cur illustrare nitar. Quaerendos igitur intellexi eos mihi esse pulchellos dicendi ambitus, qui saperent Latium, scriptoresque adeundos principes, qui Romae, sub Augusti tempora, floruerunt.

Rotundo eloquitur Ossianes ore; sed, prae Latinorum, admodùm abrupta est ejus loquela. Hinc copulationes adjeci transitionesque artis nitidae. Nonnulla item praetermisi leviora adjuncta; sententiolamque semel atque iterum miscui aptam, cùm id res postularet mea. Nec ullum indè Ossianis mens detrimentum patitur.

Quae secum agitat poëta, circumstant, atque informant, animantque ipsiusmet versus. Abjiciantur hi, continuò vivida vis carminis diffugit, deliciaeque, quibus tenebamur. Superest solumodò elanguens exanimum corpus. Constat id Homeri et Virgilii exemplo, aliorumque poëtarum, quorum pulcherrima opera, versibus spoliata suis, in aliam totidem nudè sententiis linguam convertuntur. Unde fiat non equidem quaero: sat id experiietiâ comprobatur. Quapropter versibus extuli Phingalèiden; eoque usus sum numero, quo placuit Romanis heroum fusiùs celebrare facta.

Ossianis autem versus latissimè discrepant ab iis,

quibus arma virumque suum prosequitur Virgilius. Sunt etenim brevissimi ; primus tertiusque ob quandam vocalium litterarum, quibus immoratur vox, similitudinem consonant sub finem ; quisque completum plerùmque prae se fert sensum, facilique cursu delabitur. Quìn Gaëlica linqua multo est Latinâ expeditior. Nil dactylos curat, aut spondeos, aliosve, quos noverim, pedes. Dissolvendus itaque mihi erat versus Ossianis, novusque condendus, qui tamen exemplaris innatâ progrederetur indole. In id ergo incubui, ut, priore Ossianis veluti pessundato corpore, in illo, quod ipse denuò creavi, eadem omnino esset materies, pulcherque ordo ; idem ubique robur, atque majestas ; eadem lacrymabilis facies, eademque per omnes infusa mens artus ; ut idem denique Ossianes, Romanorum donatus civitate, ipsorumque apprimè edoctus linguam, sua carmina Virgilii in morem modularetur.

Immenso prorsus labore, novoque ingenii acumine fingendi sunt Latini versus : agendumque veluti, si ex durioribus undique conquisitis lapillis,

variosque indutis colores, ac mirè compositis, vitam spirans imago, atque in aevum duratura, conficiatur. Si quis in syllabarum brevitatem longitudinemve non peccet, versumque senis concludat pedibus, purisque verbis, haud multum praestat. Culpam evitat, non meretur laudem. Quoties ritè diducitur versus, efficitur verborum sonus, qui, cum gravibus temperans acutos, concentum imitatur, creatque. Interest quo quaevis res ordine locetur: ad sedis, quae quarta est, primam syllabam attollitur vox, magisque ferit. Eo igitur est loci quidquid in versûs decursu talem pro suâ dignitate postulet contentionem. Ubicunque item vox haeret, id illic ponitur, quod moram admirationemque conficiat sui. Hanc nunquam violat legem Virgilius.

Nec satis est quemvis seorsìm nitere versum, ni, sicut sequentibus aliquantulum concinit, sic quoque ab illis discrepet ob alia; quo fit ut mira jucundaque sonorum enascatur varietas. Componitur hinc versus, qui ad finem usque enuncietur, nullâque morâ impediatur: alius in varia caeditur frusta,

quorum alia majora, alia minora sunt; hisque immoratur vox, variis uti stationibus.

Tantae molis erat Romanam condere gentem!
Vix e conspectu Siculae telluris in altum
Vela dabant laeti, et spumas salis aere ruebant,
Cum Juno, aeternum servans sub pectore vulnus,
Haec secum. Mene incepto desistere victam,
Nec posse Italià Teucronum avertere regem?
Quippè vetor fatis. ÆN. L. 1.

Quae suis sunt locis longiora vocabula, optimas adferunt caesuras, morasve; praesertim si spondeis abundent: quod ex his Virgilii versibus continuò percipimus.

Luctantes ventos, tempestatesque sonoras. ÆN. L. 1.
Dona recognoscit populorum, aptatque superbis
Postibus. ÆN. L. 8.

Binis non incongruè concluditur versus spondeis, ubi res magnifica, vel lugubris, stuporemve ciens animi decantatur.

Chara Deum soboles, magnum Jovis incrementum. ECL. 4.

Sic etiam de noctuâ dicebat idem Virgilius.

Quae, quondam in bustis ac culminibus desertis,
Nocte sedens, serum canit importuna per umbras.—ÆN. L. 12

Nec aliter de capto, coràmque adducto Sinone:

Namque ut conspectu in medio turbatus, inermis
Constitit, atque oculis Phrigia agmina circumspexit. Æn. L. 2.

Versus, unius syllabae conclusus voce, ingentem habet vim.

Insequitur cumulo praeruptus aque mons. Æn. L. 1.
Sternitur, exanimisque tremens procumbit humi bos.
Æn. L. 5.

Venustè suspenditur sententia:

Ac velut in somnis, oculos ubi languida pressit
Nocte quies, nequìdquam avidos extendere cursus
Velle videmur, et in mediis conatibus aegri
Succidimus. Æn. L. 9.

Si, queis utitur pocta, vocabulorum sonus perbellè, quas tractat, rebus assentiat, ut harum re, missa quaedam vox, alius inde salit varietatis fons, vivaque versûs gratia.

At tuba terribilem sonitum procul aere canoro
Increpuit. Æn. L. 9.
Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.
Æn. L. 8.
Accipiunt inimicum imbrem rimisque fatiscunt. Æn. L. 1.

Quod grave est ac moestum, enunciatur spondeis; quod leve ac festivum, dactylis; quod mol-

libus verbis; quod asperum duriusque, asperis et durioribus. Indè nam resonant versus, qualiaquae dicuntur; atque ita concinit passim Virgilius, ut unusquisque novit, qui ejus evolvit carmina. Ità Roll.

Sunt et alia, huc spectantia, quae fusiùs explicant, qui talia docent. Verùm haec missa facio, quandoquidem ad metam propero; satque jam intelligitur, quales mihi praecipuas existimavi servandas leges, cùm in id operam contulissem meam, ut Ossianes, latinorum septus versuum blanditiis, legeretur. Fòrs autem videbor exlex; fòrs in vatis Caledonii mentem, et sublime peccare ingenium; fòrs in Virgilii magnum os numerosque. Hominis est, vel caventis, errare.

Nam neque chorda sonum reddit, quem vult manus et mens;
Poscentique gravem persaepe remittit acutum:
Nec semper feriet, quodcunque minabitur arcus.—Hor. *A. P.*

Arduum ingressus sum iter: et voluisse multum est. Si, quod omine non fausto concupivi, non

effecero pro votis, de me dicendum, quod de Phaëtonte dictum est, qui solis conscenderat currum,

> Quem si non tenuit, magnis tamen excidit ausis.
>
> *Ovid. Met.*

PHINGALEIS,

SIVE

HIBERNIA LIBERATA,

IN SEX DIVISA LIBROS.

LIBRI PRIMI ARGUMENTUM.

Regius Hiberniae praefectus, Cuchullin, Semonis filius, ad Turam sedens, fit certior appulisse Suarena, Lochlinis, seu Scandiae regem; suosque convocat bellatores. Procerum consilio quaeritur quid agendum sit; admonetque Connal recedendum paulò, donec expectatus, suppetiasque venturus affuerit Phingal, Morvenis, Caledoniaeve rex. At, absque morâ, pugnandum contendit Calmar; atque haec Cuchullini potior sententia videtur. Tres ille, pugnandi certus, desiderat ductores, Feram, Duchomera, et Cabada. Accurrit interim Feras, et funus narrat Cabadis, Duchomeris, virginisque Murnae. Praemissus à Suarene explorator videt adventare Hibernorum copias; reversusque Cuchullinis currum, jugales, ipsumque adeó describit heroa. Committitur mox proelium, quod nocte dirimitur; incertaque errat adhuc victoria. Accersitur Suaren ad Hibernorum coenam, cui renuit is succedere. Decantat inde Carril Crimoris et Brasollydis amorem lethumque. Absentis uxoris, Bragellae laudes delibat Cuchullin. Locantur excubiae; sub dio sternit se somno exercitus; bello caesorum circumvolitant simulacra; miraeque voces audiuntur.

PHINGALEIS.

LIBER PRIMUS.

ARBORE sub patulâ, tractìmque ciente sonorem
Frondibus, ad Turam* sedit Semonia proles,
Cuchullin †: juxtàque adnititur illius hasta
Pendenti scopulo; magnumque recumbit in herbis
Ære renidenti scutum. Quem fuderat armis,
Carbera dux animo repetit, cùm littore anhelus
Accurrit ‡ Moran, rumpitque has pectore voces.
Surge, age, Cuchullin; multas Aquilone profectas
Aspicio venisse rates; neu segnior esto,
Limina qui pandis felix adeuntibus hospes,
Instaurasque epulas et plenae munera conchae §;
Jamjam Suaren || adest ingens, ingentia duxit
Agmina trans pontum; completur milite littus.

* Nota, A. † B. ‡ C. § D. || E.

Caeruleis oculis contrà tum strenuus heros
Talia voce refert : non est tibi vivida, Moran,
Vis animi ; solitusque tremor nunc occupat artus ;
Utque reformidas, delatos aspicis hostes
Innumeros. Omnem, sate Phyttile, pelle timorem.
Expectatus adest Phingal ; sociasque phalangas
Classe vehit secum bello vir maximus unus,
Qui regit imperio montes vallesque profundas.
Suarena Lochlineum, Moran ait, ore secutus,
Vidi equidem : rupesque immani mole videtur.
Montanam pinum decisis undique ramis
Illius hasta refert, plenamque sub aethera lunam
Surgentem clypeus. Saxoso littore sedit,
Incubat aërio monti ceu turbida nubes ;
Successique olli ; dixique, locutus ad aurem,
In tua te, Suaren, rex optime, bella sequuntur
Agmina multa virûm, ferro qui vulnera jactant
Aspera, cùm subeunt irae, cùm praelia surgunt.
Vèrum animis praestans, praestans et fortibus armis,
Major obit latè ventosam copia Turam.
Ille sub haec, veluti scopulis illisa reclamant
Æquora. Quem mecum tellus haec conferat unum?
Quos alit heroas, magnis quos laudibus effers,
Non me sustentare valent, non sistere coràm :

Altior insurgens ipsos mea dextera fundet.
Anne unus mecum potis est contendere Phingal,
Is pluviae dominus Selmae*, rex Morvenis† altus?
Contulimusque manus sub Malmore‡; pugnaque totum
Nostra fatigavit montem; nemus undique sensit,
Obnixis actum pedibus; vaga flumina cursum
Mutarunt; rupes intentavêre ruinam;
Terque diem nobis saevumque aurora reduxit
Luctamen; neque adhuc spes ulla, quiesve dabatur.
Spectatum admissi, fortes insignibus armis
Contremuêre viri. Quartâ cecidisse canebat
Luce maris dominum Phingal; facinusque nefandum
Ipse recusavi. Penitùs sub mente recondat
Jam nunc Cuchullin sese mihi tradere victum:
Nam me Malmoreis agitat vis acrior Euris,
Cùm feror in bellum certus, gladiumque corusco.
  Mene illi, Cuchullin ait, me tradere victum!
Non ita, non homini cedam, qui vescitur auris:
Me quoque vis agitat; jacto cum turbine telum.
Ibo victor ovans; notumve in saecula claro
Me dabitur letho volitare per ora virorum:
Tuque meam subitò, sate sanguine Phyttilis, hastam

* Nota, F. † G. ‡ H.

Corripe; eâque feri, connixo corpore frendens,
Cabadis magni clypeum ferrugine tactum,
Grande decus quondam, partisque insigne triumphis.
Ecce hastis pendet medius: non ille reportat,
Dulce sonans, pacem, sed ineluctabile bellum.
Praecipita; bellatoresque à saltibus acci.

Innumeris clypeum bullis atque aere canoro
Perculit *, et longè sonitus latèque vagatur
Per colles vallesque cavas saltusque profundos;
Exiliuntque ferae, ripaeque lacusque resultant.
Continuò sensit summâque crepidine rupis
Laetum Curra dedit saltum; celeberrimus hastâ
Se rapuit Connal †; tenuit nec caprea Favym.
Torsit iter notae Crugal sub limina Turae.

Aure sonos clypei, Ronan, nova bella cientis
Excipe; tuque, Cluar, monitum, quo personat auras
Cuchullin. Pelago cedens, huc dirige gressum,
Calmar ‡; loricamque audax indutus ahenam
Praecipita, Luthar; dextrâ vir surge potenti,
Phoenoide; Cromlâ§, Carber, reddente sonores,
Labere; ferque pedem, Fichir, liberrime princeps;
Carpe viam, Cormac, trepidis quem roscida rivis
Lena tenet; Morae || tumulos vallesque virentes

* Nota, I. † K. ‡ L. § M. || N.

Desere, Colta levis, pulchros et corporis artus
Candidior spumâ, summis quae volvitur undis,
Cùm saevus spirat Boreas, atque asperat altum.
  Nec mora, continuò visi descendere curvis
Vallibus heroes, tenuit quos ardua virtus.
Ignibus ardebant olli, cùm fortia secum
Praelia versarent, lapsi quae temporis aetas
Miscuerat; viridisque in torvum Phallidis * hostem
Lumina torquentes, districtis ensibus ibant;
Fulgebatque manu ferrum, velut aethere fulmen.
  Montis ut angustis praeceps è faucibus amnis
Volvitur, invicti delabebantur ab altis
Cotibus Erigenae †. Patris victricibus armis
Quisque sui micuit princeps; quem pone subibat
Torva manus juvenum, sicut premit agmen aquarum
Fulgura. Semita quaeque fremit; miscentur in unum
Armorum strepitus varii; latratibus auras
Exercent catuli, saltumque sub aethera tollunt
Laetitiâ. Patrium heroes paeana canentes
Bella fremunt omnes, hostemque in praelia poscunt.
Idem omnes simul ardor habet: cursuque phalangum
Excita Cromla tremit. Turae prae turribus altis
Stant acies, sicut nebulae se caerula moles

* Nota, O. † P.

Monte, sub Autumnum, sistit, caput aethere condens;
Concilioque ducum Cuchullin farier infit,
Cormacis rector summus, rerumque magister.
  Inclyta progenies, quam vallibus extulit Erin
Gramineis, salve! Proceres salvete potentes,
Quos juvat alipedes agitare per avia cervos
Culmina! Majus opus nobis, en! nascitur ultrò,
Suaren adest; ipsi versas ad littora puppes
Respicitis, totumque allabi classibus aequor.
Pellemusne hostem? dabimusne per Erinis oras
Suarena grassari dominum? Quid corde revolvis,
Optime consiliis Connal, ductorque phalangum
Acer, cùm suadet tempus confringere parmas?
Saepius in torvas movisti castra cohortes
Lochlineas alacer: num, quem pater ante solebat,
Ocyùs attolles clypeum, bellumque ciebis?
  Talia Cuchullin, placido cùm talia Connal
Ore refert. Jactat certamine Connal acutum,
Maxime Cuchullin, jaculum; mea sera voluptas,
Fama, decusque fuit bello fudisse maniplos.
Arma juvant; verùm, si praelia dira cupido,
Mens aliud suadet, pacem, certamque salutem
Erinis. Infestam, spes ô fidissima nostrûm,
Aspice tu classem, radit quae littoris oram.

Fluctibus in summis pendet, premiturque vicissim
Flaminibus, qualis sese Legonia * tollit
Sylva per immensos tractus, sub vertice nutans.
Quòd, si vel Phingal foret hîc, tam dispare rerum
Sorte nec ipse quidem vellet committere pugnam,
Albineus† rector, Phingal, dux optimus armis,
Bellantesque viros dextrâ qui dejicit omnes,
Praelia nimborum sternunt ceu graminis herbam,
Turbida cùm tumulos replet plangoribus altos
Cona ‡, nigroque poli velatur Morven amictu.
  Non equidem pacem, non otia inertia laudo,
Calmar ait: Cromlam Connal nebulasque peragret:
Illius hasta premat cervam, cùm praelia tempus
Poscit, et heroum mediis fervere catervis.
Hinneolos maculis varios per devia montis
Insequitor; Lenae capreas confige sagittis.
At, qui Semonis generoso es sanguine cretus,
Quique unà nostros, sociosque in praelia cogis,
Disjice Lochlinidas; findentes classibus aequor,
Barbaricas everte acies, ne concita velis
Remigiove ratis tentet salis ire per undas.
Saevus § ab Erineo consurgens littore ventus
Asperet Orcadìcum pelagus; detortaque coelo,

* Nota, Q. † R. ‡ S. § T.

Tempestas sine more ruat. Me turbinis ira,
Finibus à patriis raptum, detrudat ad umbras,
Si rufos premerem cervos tam pectore laetus,
Quàm casus ineo belli, quàm praelia tento.
  Non ego, Mathaide juvenis, certamina fugi,
Respondet facilis Connal: comitatus amicos,
Hoc caput objeci circùm volitantibus hastis.
Nec tamen arripui famam; victoria cessit
Clara mihi, comitum cessit consortibus armis.
Quò tua te virtus, laudis quò gloria ducet,
Ibis, Cuchullin. Jam verò respice regem
Imbellem, puerum primis florentibus annis.
Te penes imperium Cormacis * vertitur; in te
Illius inclinata domus, soliumque recumbit.
Suarena muneribus cumula; pete foedera pacis,
Dum veniat Phingal, lectosque ex Albine ducat
Heroas secum, genus intractabile bello.
Si sedet ast animo validis contendere telis,
Nìl renuo: tecum stat casus ire per omnes;
Sepositumque diu gladium, pilumque retracto.
  Haec ubi dicta dedit Connal, mox talia ductor
Addidit Erineus, certus decernere ferro.
Me juvat armorum crepitus, fortesque labores,

* Nota V.

Ceu fragor aethereus, verni praenuncius imbris.
Erinis exsurgat pubes, assueta triumphis
Nobilibus; fortisque cohors se se explicet omnis,
Concita procursu rapido, per aperta locorum,
Solis uti fulgor volat alto culmine montis,
Cum pluvias torquent ventorum flamina nubes,
Morveniaeque gemunt ingenti robore quercus.
  Heus! ubi nunc terni comites, ubi rebus in arctis
Spes et praesidium? Quid te, pulcherrime Cabad,
Distinet? O praestans animi Duchomer in armis,
Te quaenam tenuêre morae? men deseris eheu,
Fera, cum tumeat circum me concitus amnis,
Exultans animis inter convivia princeps
Inclyte, virque omni fortis discrimine rerum!
Galmare num properas, Rossae fidissima proles,
Qualis capreolus, cervusve per avia montis?
Rossaide, salve! tristi quid corde volutas?
  Dicam equidem, Cuchullin, ait: Cabada sepultum
Bis bini signant Lapides; Duchomera terrae
Ipse dedi. Tenebris tumuloque recondite, Cabad,
Solis uti fulgor, jactus sub colle, nitebas;
Tu belli, Duchomer, eras modo turbida nubes,
Obsita fulminibus; caeco te rupis in antro
Somnus habet longus, virgo pulcherrima, Murna.

Occidit hoc decûs omne suis, ceû stella per umbras
Procurrens; queriturque, arcto qui calle viator
Carpit iter, blandam coelo discedere lucem.
Da, tum Cuchullin, fortes quid funere mersit
Heroas? nunquìd magnae post caedis acervos
Occubuêre, feris infracti Lochlinis armis?
Quìdve tenet tenebrosa domus, semperque tenebunt
Magnanimos Cromlae proceres penetralia lethi?
  Haec olli Feras. Rivi plangentis ad undam,
Sola ubi consurgit ramis ingentibus ilex,
Æmulus exceptum gladio Cabada peremit
Duchomer; lucumque iniens vastamque cavernam,
Conspicit ante oculos Murnam, cui talia fatur.
Dic, age, dulce decus, Cormacis candida proles,
Quìd nunc hoc lapidum circo es, quìd rupis in antro
Sola? gemit torrens, motatur maxima quercus,
Æstuat, eccè! lacus; montana cacumina nubes
Contexêre. Nivem, sparsam sub culmine collis,
Ipsa refers candore novo; tibi gratia vivax
Ore sedet, virgo; torti sine lege capilli
Per collum volitant, ceu quae per saxea Cromlae
Culmina palantur nebulae, purisquae relucent
Solis in Æstivi radiis sub vespere sero;
Exeris et pectus, qualis se subjicit auris

Æthereis, niveo surgens è marmore, rupes 224
Verticibus geminis Brannae spumantis ad undam.
  Haec ubi Duchomer, contrà sic aurea virgo.
Unde venis, ductor? quae te sententia vertit?
Torvus eras semper; stant nunc tibi lumina flammâ.
An visus Suaren, pelagus quil mille carinis 229
Transvolat? an super hoste tibi quid venit ad aures?
  Monte redux, inquit, caprearum arbusta relinquo.
Non visus Suaren, pelagus qui mille carinis [aures.
Transvolat: haud super hoste mihi quid venit ad
Tres jam dejeci cervos; tibi concidit unus
Cornibus arboreis ingens, velocior Euris, 235
O Cormacine, cui fulget in ore venustas,
Luce mihi dilecta magis, lectissima virgo,
Cui proceres uni fas debellare superbos.
Te mea, Murna refert, mens inplacabilis odit,
Duchomer; ciliis hirsutus es, asper et irâ; 240
Stat tibi corde silex duro. Pulcherrime temet
Unum Murna colit Cabad, te diligit unum.
Scilicet ut clivos, nebulis hinc inde fugatis,
Aurea lux solis, decorant tibi tempora crines. 244
An tibi, Duchomer, blandus sub montibus altis
Dux Arminiades visus, meus optimus ignis,

Aëriâque novus surgens ex arbore ramus?
Illius opperior reditum sub rupe cavatâ.
  Atqui Arminiadae, saevis qui ferbuit iris,
Opperiêre diu reditum, trux ore secutus
Duchomer clamat; gladiumque hunc aspice acutum,
Caede cruentatum juvenis: spes pascis inanes.
Huic ego votorum summae capitique tuorum
Magnum constituam tumulum, lapidemque sub auras.
In me nunc oculos mentemque animumque benig-
Chara viri soboles, clypeos in bella moventis, [num,
Verte; mihi gliscit virtus; mihi robore praestat
Dextera, ceu summos ferientia fulmina montes.
  Occubuitne, inquit prorumpens illa querelis,
Filius Armini? vitamne per avia fudit
Ante alios niveo pulcher dux pectore, notus
Venandi studio, certusque secantibus undas
Hostibus objectare caput? Nimis ipse nigrescis,
Caede madens, inimice atrox mihi: porrige ferrum
Sanguineum: magno teneor Cabadis amore;
Me juvat et sanguis, diro quem vulnere fudit.
  Porrexit gladium lacrymis nìl praescius heros;
Illiusque latus telo imperterrita fodit

Murna. Sui cecidit fractus bellator ad undas
Fluminis; extendensque manum, sic ore profatur.
O, quam caeruleis felix umbonibus heros
Progenuit, Cormac, mihi primo tramite, Murna,
Truncasti famam: procerum votumque, decusque
Dulce, riget saevum defixum corpore ferrum.
Tu me, tu, virgo, Moinae me redde decorae,
Somnia cui reddunt sua me, nigrantibus umbris:
Illa mihi statuet molem; molemque videbit
Venator; vivetque meum per saecula nomen.
Torqueor; ah! rigidum, virgo bona, subtrahe telum.
Murna subit, nectitque moras lacrymansque gemensque.
Expedit ille ferum connixus viribus ensem;
Jamque sinum nymphae miserando vulnere pandit.
Illa* cadit; terrâque jacent sine lege capilli;
Quà data porta, ruit subito cum murmure sanguis;
Purpureo tingit rivo se dextera; versat
Funere se virgo; gemitum spelunca remittit
Extremum fato tenues abeuntis ad Umbras.
Proh facinus! clamat, belli quem summa gerendi
Stat penes: aeternùm compostâ pace quiescant
Magnanimi proceres, fortesque per omnia telis.

* Nota, U.

Inde meas utinam comitentur passibus aequis
Hi bigas; tenuesque horum sub imagine formas
Radere iter videam, cursu cum nubila tranant;
Vivida visque animi medio flagrante tumultu
Gliscet; uti vastum tonitru, mea dextra vigebit.
Advenias, niveâ lunae tu luce refulgens,
Murna, sub obscurum noctis, cùm lumina fessus
In somnum condo requiemque, silentibus armis.

Protinùs aere renidentes densate catervas,
Ductores primi; coëatque exercitus omnis.
Adjungantur equi; da binas, armiger, hastas;
Jamque effer laevâ clypeum. Praesumite bellum,
Erigenae, cursuque meos aequate jugales.
Pergite; mens mihi flagrat ovans, ubi praelia surgunt.

Dixerat: utque ruit Cromlae de cotibus altis
Turbidus indignans spumanti flumine torrens,
Cùm crepitat tonitru, cùm plurima noctis imago
Imminet, ac pluviae rutilant sub margine nubis
Fulminibus misti Lemures, non secius acris
Terribilisque acies, densis glomerata catervis,
Erupit. Ductor sese, Cuchullin, agebat,
Haud secùs atque ingens balena sequacibus undis
Luxuriat, viresque suas, ceu flumina fundit.
Intremuit littus; liquidasque hausêre per auras

Lochlinidae fremitum, qualis sub frigora Brumae
Fluminis est longè plangor; clypeoque sonoro
Signa dedit Suaren; juvenemque, Arnone creatum
Astantemque sibi, compellat vocibus istis.
  Auribus excipio fremitum, prout vespere murmur
Saepiùs audivi culicis: venit aspera proles
Erinis, aut mediis sylvis immurmurat Eurus.
Nec secùs ante gemit Gormal*, quàm fluctibus altum
Aestuet. I, superaque jugum, nec segnior esto,
Arnoide; sylvas, aversumque inspice collem.
  Prosiluit, revocatque gradum formidine praeceps,
Intorquetque oculorum orbes; quatit ilia anhelus;
Orsus inops animi turbatis vocibus hiscit.
  Surge, age, rex pelagi domitor, dux inclyte parmis:
E clivo genus Erineum ductorque superbus
Praecipitant, sicut spumanti flumine torrens;
Advolat immensum sparsurus ubique locorum
Fervidus exitium † currus Cuchullinis acris;
Pulcher et est visu. Retro se fingit in orbem,
Fluctus ut impactus scopulo; vel caerula nubes,
Convexo recubans colli; gemmisque coruscat,
Nìl secùs ac multo pontus ruere igne videtur,
Nave repercussus nocturnâ; lentaque taxus,

* Nota, X. † Y.

Arte polita, praeit temo; nitet ossea sedes,
Advehit ac clypeos ensesque hastasque virosque.

Cernitur ad dextram, generoso sanguine fervens,
Fuscus equus, tergoque nitens, Sifaddaque dictus
Erigenis. Fremit ille; jubamque sub aethera quassat,
Arduus ostentans pectus; passuque superbit,
Insultatque solo: pulsu gemit excita tellus.
Funditur huc illuc summo coma vertice, ceu quae
Palantur nebulae deserta per alta ferarum.
Parte sub adversâ cervicem torquet in arcum
Dusronnal; repletque ferox hinnitibus auras.
Huic tenuis juba, vivida vis est, ungula fortis,
Pes alacer, nasus maculis insignis et albo.
Montibus in patriis generatos, aetheris aura
Purior hos intùs miris agit ignibus ambo.

Ardua radit iter centumque coërcita vinclis
Haec nova bigarum facies, nova machina belli.
Ore citatorum spumantia fraena relucent
Quadrupedum; luduntque altè per colla per armos
Gemmea lora. Ruunt bijugi per aperta locorum,
Concita flaminibus veluti secat aethera nubes:
Nam cervi feritas, aquilaeque est impetus illis
Præcipitans; cursuque fremunt, velut horrida grando
Gormalis in clivis crepitat sub frigora Brumae.

Stat curru, clypeique effert insigne decorum
Maximus ille armis ductor, Semonius heros,
Quem numeris tollunt hinc usque ad sidera vates.
Enitet os olli, ceu, quae torquetur in arcum,
Haec, elata mihi dextrâ, nitidissima taxus ;
Impavidique oculi furvos tenuesque sub arcus
Vertuntur ; rutilantque comae, passaeque vagantur
Os humerosque super, siquando concutit hastam.
Diffuge, rex, oro ; ductori vertere tergum
Nil dubita, saevi properat qui turbinis instar.

Talibus inde sonis accensas aggerat iras,
Impatiens animi, dominator Lochlinis altus.
Da quando, ratibus pontum qui mille peragrat,
Terga dedit Suaren ? quaenam discrimina fugit
Magnus parmarum dominus, Starnonia proles ?
Omnem sustinui rabiem coelique marisque
Turbinibus medius mediusque boantibus undis ;
Fortia sustinui fortis certamina, cur hunc
Extimeam casum, dic, ô, cui dextera friget,
Arnoide, bello ? Mea surgite millia coràm :
Irruite in medium, fremebundus ut aequoris aestus,
Turbida cùm subitum detorquent nubila flatum ;
Vestrum, Lochlinidae, noti sublimibus armis,
Circumstate globus regem, ceu Lochline rupes

Littoreae perstant, pinosque ad sidera tollunt,
Flamina cùm terras verrunt coelumque profundum.
  Haec ubi dicta, velut dextrâ laevâque remugit
Horrificum Autumni tonitru, clamoribus ultrò
Cuchullin pugnam Suarenque hinc inde lacessunt;
Quoque ruunt cursu trepidi de montibus amnes, 386
Hostiles coëunt acies, certare paratae;
Duxque ducem, lectamque cohors clypeata cohortem
Aggreditur; stridetque chalybs; galeaeque fatiscunt.
Fervet caede locus: nervo pulsante sagitta 390
Crebra volat; vibrata cadunt hastilia passìm;
Ensibus exiliunt, piceis ceu nubibus, ignes.
Ut fremit * Oceanus vastis surgentibus undis,
Utque tonat coelum mugitibus, obstrepit armis
Undique planities: totum fragor aethera complet;
Astiterintque licet centum, queis copia fandi, 391
Cormacis vates, oculosque per omnia ferrent,
Dicere vix possent diducto carmine caedes.
Namque animas unà posuit vulgusque, ducesque
Innumeri: fuso manabat sanguine Lena †.
  Fingite nunc elegos, Sittallina dicite, vates: 395
Fortis erat, fortes ducebat in arma catervas.

* Nota Z.

† Sic dicebatur planities, ubi pugnatum est.

Effundens niveo suspiria pectore, tristes
Da lacrymas, Evir, Ardano, quem fervida virtus
Transtulit ad bellum, quem non tamen inde reduxit.
Hos, veluti geminas deserta per avia cervas,
Stravit humi Suaren, mediis ubi millibus ibat,
Sicut, nube sedens gelidoque Aquilone profectus,
Navita * nimbosum rapido secat aethera nisu,
Despicit ut moerens, periit queis naufragus undis.
  Neve quiescebas, ductor, cui roscida servit
Insula: namque tuum victrici limite telum
Ferbuit infestum, vastat ceu fulminis ira,
Cùm populi latè procumbunt vallibus imis,
Et montes avidâ collucent undique flammâ.
Ibat Dusronnal, fremituque è naribus ignes
Efflabat: celerem lavit Sifadda cruore
Ungulam in undanti. Bellantes pone jacebant,
Victus ut ad Cromlae torrentia flumina lucus,
Cùm sine more furit turbo, circùmque vehuntur
Horrendi Lemures, et coelum questibus implent.
Pectore sub molli luctum gemitusque cieto,
Rupe sonante sedens † virgo, quam respicit unam
Insula dives opum, longis loca foeta carinis:
Huc adverte oculos, Genio tu purior illo,

* Nota *a*. † *b*.

Qui solis gaudet tumulis, clivisque superbus
Tendit iter, veluti, zephyris pulsantibus umbras,
Sole sub incerto sua lux vestigia signat.
Ecce tuus Trenar, Trenar, quem diligis, ictus
Volvitur in faciem magni Cuchullinis armis!
Quìd fugit ore color, subito quìd frigore torpes,
Nympha decore nitens? Non amplius ulla subibit
Principibus mistus Trenar discrimina belli.
Pallidus heu moritur! Non illum exinde videbis.
Tristes exululant catuli pro limine; tristes
Agnoscunt domini tenuem sine corpore vitam;
Quin nervo squalet nudatus inutilis arcus;
Et vox it circùm lethi certissimus auctor. [dis
    Haud secùs ac pelagus cum mille frementibus un-
Irruit in littus, vasto premit agmine Suaren
Erigenas; sicut nil novit cedere littus
Pulsanti pelago cum mille frementibus undis,
Erigenae perstant acres; atque ictibus ictus [tum.
Ingeminant; clamorque oritur, gemitusque caden-
Ferreus it stridor; scutorum fragmina campus
Totus habet galeasque cavas et inutile telum.
Quâque micat dextrâ gladius, velut aethere fulmen;
Discurruntque acies, strepitantque, ac vulnera mis-
    cent,

Ceu centum centumque unà, fornace recoctum,
Brachia procudunt ferrum, flammasque rescludunt.
Hi quinam gemini*? queisnàm frons induit atram
Bellandi studio nubem? queis aereus ensis
Fulget, ut ardescens ignis super aequora ponti?
It tumulis fremitus magno turbante tumultu,
Pendentesque tremunt scopuli, littusque resultat.
Anne ratum dives Suaren, Cuchullin et asper,
Erineus ductor, ductor, quem gloria fulcit?
Hos totis acies animisque oculisque sequuntur
Heroas: coeloque ruit, bellantibus ollis,
Humida † nox; dubiis victoria passibus errat.
Sub Cromlâ Dorglas, tumulique cacumine, densis
Arboribus circùm clauso, congessit opima
Corpora cervorum, primo quos mane juventus
Straverat, expatiata jugis lustrisque ferarum.
Jam centum juvenes flammarum pabula carpunt,
Convectantque ulnis; igni bis quinque ministrant;
Ordine quos ponant patulos de more treceni
Perquirunt lapides; centumque in mille ferinam
Frusta secant; latè fumant convivia castris.
Intereà surgit, longamque innisus in hastam,
Optimus ille virûm ductor, Semonia proles,

* Nota, *c*. † *d*.

Egregium, Phoenae cretum de sanguine, vatem,
Talibus alloquitur longaevum Carrila dictis.

Quìd, venerande senex, luxu mihi coena paratur
Regifico, duris cùm stet rex asper in armis
Littus ad Ullineum, dapibusque accumbere laetus
Pinguibus haud valeat? Saltu nam dissidet heros
Gormaleo, longèque suis modo turribus altis.
Ergo, age, nuncius i noster; placidèque locutus
Huc accerse ratum dominum. Dic littore cedat
Æquoreo, coenaeque * velit succedere gentis,
Quae struit ex animo convivia larga benigno.
Ignavam, sylvae sub amico tegmine, noctem
Transigat: en! Boreas gelidâ qui Lochline prodit,
Littore bacchatur; miscetur murmure pontus.
Hîc curas relevet fidibus cantuque sonoro.

Mox abiit molli Carril sermone disertus,
Et, ferrugineas cogentem in praelia parmas,
Affatur regem, dictisque accersit amicis.
Continuò stratas aprorum desere pelles,
Maxime rex, servit cui sylvis obsita Lochlin:
Littore cede maris, lucumque accede silentem.
Obstrepit hic Boreas; miscetur murmure pontus.
Caeruleis oculis ductor, Semonius heros,

* Nota, *e*.

Munera dat conchae felix; convivia curat:
Hospes adito ipsum, dapibusque accumbe paratis:
Excipe dulce melos citharae cantumque sonantem.
  Nuncius haec Carril, contrà rex talia Suaren
Ore refert tumido, sicut caecumque fremensque
Redditur â Cromlâ murmur, cum turbida surgunt
Flamina: deveniant omnes licet agmine magno
Phalliades, formâ notae viridique juventâ,
Protendantque manus niveas, et pectore mollem
Effundant gemitum, meque undique et undique [ocellis
Caeruleis lustrent totum votisque precentur,
Hîc stabo, sicut solidae stant Lochline rupes,
Nìl ego dimotus, donec lux aurea solis,
Affulsura neci Cuchullinis, adsit ab ortu*.
Me juvat et Boreas, mediâ qui Lochline prodit,
Ac vastas pelagi reboantes asperat undas;
Affatusque meos rauco stridore rudentes,
In mentem revocat subeuntes aethera sylvas
Gormaleas, virdi passìm quae vertice nutant.
His mea nam mediis aprorum sanguine cuspis
Saepiùs immaduit. Properet mihi reddere victus
Munera Cuchullin; Cormacis dedat habere
Protinus antiquum solium, quod millia circùm

* Nota, *f*.

Fulgentûm vallant clypeûm; vel Phallidis omnes
Primo ego congressu terras fluviosque capessam,
Exsuperans virtute meisque horrentibus hastis.
Dira, redux inquit Carril, canit omnia Suaren,
Asperior ponto, nec dictu affabilis ulli.
Dira* sibi rebusque suis, Semone creatus
Addidit, ille canat. Dulcem sub sidera vocem
Tolle, senex: lapsi tacitum dic temporis aevum.
Cantus agat noctem; praestet sua gaudia luctus:
Nam celebri virtute viros, formâque puellas,
Finibus alma suis plures tulit insula Phallis;
Demulcentque animos dicunt quae carmina fortes
Albinis heroas, siquando cessat abactum
Venandi latè studium, saltusque silescunt,
Ossianesque canit, montanaque culmina tractim
Responsant, querulis Conae salientibus undis.
Tum Carril, dicto parens, ita farier infit.
Littore Hyperboreo, priscis labentibus annis,
Copia magna virûm viridantis ad Ullinis† oras,
Fluctibus insultans, devenit mille carinis.
Nuncia fama ruit; jamjam se fervida movit
Phallensis pubes; hostilibus obvius armis
It Carber, Crimorque virûm pulcherrimus unus.

* Nota, *g*. † *h*. ‡ *i*.

Hi taurum ob niveum, tondentem Gulbinis‡ herbas
Ignibus ardebant irarum; fatifer ensis [natur.
Strictus utrìnque micat, pugnamque necemque mi-
Namque sibi taurum Crimor, sibi vindicat alter.
Alter at alterius lateri comes additus astat;
Bella gerit patriae; campo stat victor aperto;
Conversusque fugâ notum petit advena pontum.
Hos pietas, hos prisca fides, concordia, vinxit
Magnanimos juvenes; nec erat cui charior ullus.
Heu! quìd Gulbineis reboavit taurus in herbis?
Hunc vidêre jugo procul è regione viarum
Ire, ferusque redit dolor, altâ mente repostus.
Lubaris ad lymphas ineunt certamina; vitam
Cespite gramineo fundit cum sanguine Crimor.
  Inde domum rediit Carber, repetitque sororem,
Fundere dulce melos solitam Brasollyda circùm.
Tum quoque, quem tacito* sub corde fovebat aman-
Crimora carminibus dicebat; diraque telo [tem,
Praelia miscentem, lacrymis plorabat obortis;
Attamen ex acie reducem pia vota vehebant;
Marmoreusque sinus, tenui velatus amictu,
Exultabat, uti mediis vaga Luna per umbras
Nubibus erumpit, purâque in luce refulget;

* Nota, *j*.

Vox citharae fidibus mulcebat gratior aulam,
Versibùs immiscens curas humilemque pavorem ;
Fronte nitescebant oculi, quibus ignea cedunt
Sidera. Da quando venias, dux acer in armis,
Illa querebatur, reddit cùm talia Carber.
  Excipe quam gessit Crimor certamine parmam,
Alma soror ; facitoque omni rubigine purum
Pendeat è tigno spolium hoc, mihi fama perennis.
Nympha, dolore gravis, singultibus ilia tendit.
Purpureus fugit ore color ; lymphataque tectis
Egreditur, carpitque viam, ripamque requirit
Lubaris. Aspiciens supremo funere mersum
Quem coluit juvenem, gemitu praecordia rumpit.
Hîc * recubant ambo, Cuchullin ; lentaque taxus
Composito dudum terreno ex aggere surgit.
Littus ad aequoreum formâ superante refulsit
Brasollys, Crimorque unà post saxa jugorum ;
Vestraque servabunt memori sub pectore vates
Nomina, dum fluet alterno cum gurgite pontus.
  Finiit ut Carril, mulcet tua gratia fandi
Me vivax, Cuchullin ait ; cantusque sonorus,
Talia quo reseras, decursis condita saeclis,
Advenit, ut placidus manans è nubibus imber,

* Nota *k*.

Cùm Sol est coelo, virides cùm despicit agros,
Umbraque radit iter clivis, zephyrique tepescunt.
Nunc age, Phoenaide, leni nunc pollice nervos
Argutos pulsa ; Bragellam concine, nympham
Pectore candenti, nympham, Dunscacidis aedes
Luce serenantem vultûs oculisque benignis,
Quam tenuit populis ducibusque habitata superbis
Insula, cùm memet dederim sub littore vento ;
Quamque mihi, decoris primaevo flore virentem,
Moribus et facilem, sociavit foedus amoris.

E scopulo nunquìd vultum protendis honestum,
Sicubi prospicias summo mea carbasa ponto ?
Te fallit pietas ; solam namque aspicis undam :
Spumeus haud fluctus ratis est, quam tota requiris.
Tu modo cede loco : nox est ; tua tempora circum
Aura fremit montis rigidi. Non ipse revertar,
Dum saevus belli campo subsederit aestus.
Fortia * dic, fortis Connal ; quam corde recepi,
Mente abigas, oro, generatam sanguine regum,
Egregiam formâ sponsam flavisque capillis,
Sorglani sobolem, famâ super aethera noti.

Inde bonus Connal : sylvam custodia solers
Occupet, ac caveat ne quid meditentur iniquum

* Nota *l*.

Lochlinidae. Requiem porrò te poscere pacis
Ipse quidem repetens iterumque iterumque monebo,
Huc dum pertulerit lectos ex Albine Phingal *
Heroas secum, dux insuperabilis armis.

Jamque dedit signum clypeo; vigilesque frequen-
Corripuêre viam; somno se stravit et agmen [tes
Sideribus subter mediisque humentibus auris;
Magnanimùmque ducum bello simulacra peremptûm
Grandia per Lenam nabant, perque aethera nubes.
Vox quoque per lucos atque alta silentia caecis
Striduit in tenebris, casusque necemque canebat†.

* Nota *m.* † *n.*

PHINGALEIS,

SIVE

HIBERNIA LIBERATA.

IN SEX DIVISA LIBROS.

LIBRI SECUNDI ARGUMENTUM.

Diversus paulùm à suis, procubuit Connal: somnoque deditus, videt, primo caesi praelio, Umbram Crugalis, quae cladem Hibernorum praenunciat ingentem. Excitus id visi enarrat Cuchullini; ipsumque hortatur ut bellum cum Suarene componat. Nil hoc Cuchullin viso movetur, famae studiosissimus, et, quas multo mane proposuerat Suaren, indignatus pacis conditiones. Jam pugnam Carril accendit carmine. Dubio decertatur Marte, donec, in fugam converso Grumale, cedit ex acie Hibernorum exercitus. Suorum curant receptum Cuchullin Connalque. Fugientes in vicinum collem deducit Carril. Phingalis conspicitur classis; noxque supervenit. Tristior ex infausto certamine Cuchullin Ferdae caedem, sibi conjunctissimi, et à se paulò antè mactati, incusat, ut tanti causam exitii. Ne autem, qui dilectos sibi, utcùnque, trucidassent, omnes ideò adversâ uti sorte videantur, Comalis et Galvinae historiam profert in medium Carril.

PHINGALEIS.

LIBER SECUNDUS.

ARBORIS ad truncum, quae longis aruit annis,
Procubuit rauci Connal sub margine rivi;
Muscosoque caput lapidi dux credidit almus,
Fusus humi. Fuscum locus undique et undique amictum
Tristior induerat, noctisque fremebat euntis
Questibus. At, quamvis diversus ab agmine toto,
Nil metuit ductor validis exercitus armis;
Cumque daret placidam fessus per membra quietem,
Longum ignis vidit succedere culmine tractum
Montano; mediusque * astabat fulgure Crugal,
Qui cecidit claris nomen virtutibus aequans.
Hunc etenim, belli miscentem praelia, fregit
Armipotens Suaren. Qualis vaga Luna per aethram

* Nota, A.

Occiduam, toto vir palluit ore, recinctas
Indutus nebulas; montis prout faucibus ignes,
Colluxêre oculi flammis; sub pectore vulnus
Sanguineum patuit, velut ingens rupis hiatus.
Quae te, Connal ait stupefactus, cura remordet,
Gegalide, patriis venator maxime clivis,
Bellatorque asper? Quàntum mutaris ab illo
Crugale, qui clypeos inter gladiosque coruscos
Nìl usquàm turbatus erat, nìl palluit unquàm.

Ille latet partìm partìmque recluditur umbris,
Illacrymansque manum ductori porrigit ingens
Ingentem; luctansque animo se in verba resolvit,
Qualis arundinibus mistis gemit Auster aquosis.

Nunc animus, Connal, tumulum meus occupat
Ullineo gelidum torpet sub littore corpus; [altum;
Extremùmque loquor fato, sate Colgare, tecum.
Nec formam inde meam gressumque agnoscere quis-
Mortalis poterit: refero nam flamina Cromlae, [quam
Exilesque umbras refero, quas nubila jactant.
En quae me toto sub pectore cura remordet:
Imminet heu Lenae nubes, cladernque minatur!
Caede cruentatam video procumbere pubem
Erinis infaustae. Pandis qui limina felix
Hospitibus, Lemurum sedes fuge nocturnorum.

Dixerat; atque abiens liquidas evasit in auras,
Luna velut subitò sese post nubila condit, [gressum.
Cùm Connal: quìd abis? fugientem comprime
Quò ruis, ô Crugal? coelestem discute flammam.
Hùc converte gradum, Cromlanae gloria gentis
Inclyta. Da quasnam sub montibus incolis aulas?
Quis viridans praebet collis, speluncave, sedem?
Quove loco positos somnus complectitur artus?
Flaminibusne * fremes mediisque loquacibus undis?
Quidnì, Gegalide Crugal, nova bella ciebis
Impiger? ah! Lemures infracti ad praelia torpent †.
Surrexit facili Connal sermone disertus;
Armatusque adiit Cuchullina, et ocyùs orbem
Percussit clypei: clypeoque sonante per auras,
Excitus emicuit princeps asperrimus armis;
Quìdque, inquit, Connal, validis dux ictibus acer,
Ad me sub noctis requiem vestigia perfers?
In te si praeceps mea fòrs irrumperet hasta,
Angerer ex animo. Da quid sub corde volutas,
Colgaride? ceu qui radiis Sol omnia lustrat,
Mens tibi lucescit. Venit mihi rupis ab antro,
Alte, fatebor, ait, magni sate sanguine ductor
Semonis, Crugal flammato fulgure vectus.

* Nota, B. † C.

Ut stetit ante oculos coràm, trans membra nitebant
Sidera: praetendensque manum, gemituque locutus,
Praescius exitium clademque instare canebat.
Hinc ego te, princeps, hortor componere pacem,
Teve tuosque plagis vel nunc subducere Lenae.

Ut stetit ante oculos coràm, trans membra nitebant
Sidera, suscipiens inquit Semonia proles:
Optime vir, Connal, dictu mirabile narras.
Quìn cecinit cladem: sed, quî me pangere pacem
Hoc adigis monitu, si quid tibi perculit aures,
Ventus* erat, querulumque ruentûm murmur aquarum.
Quòd si vidisti verè tu Crugalis umbram,
Quìd tuus hùc ipsam strictus non egerit ensis?
An quam speluncam subeat, quasve occupet aulas
Haec hominis facies, mira haec sine corpore forma,
Est tibi quaesitum? Si queis modò sedibus hospes
Praescius accedit Crugal novisse liceret,
Ense minisque meis actus, quae pectore servat,
Nudaret: verùm nihil est quod plurima novit.
Substitit hìc hodiè, collesque relinquere nostros
Temporis haud potuit spatio conclusus iniquo.
Unde igitur norit quae secum funera versat?

* Nota, D.

Excipit hîc Connal; nec abest prudentia rerum.
Trajiciunt animae simulacraque luce carentûm
Nubila vi magnâ; mediis per inane videntur
Flaminibus, clivosque colunt, antrisque residunt;
Otiaque ut peragunt, vario sermone fruuntur,
Expediuntque hominum casus et funera fando.

Nìl moror, exclamat Cuchullin: funera quaevis
Expediant fando; praeter Cuchullina mittant.
Suarenis haud ferrum metuo, nec littore cedam.
Quòd si summa dies et ineluctabile tempus
Institerint, ingens tumulus mihi surget ad undas
Æquoreas; lacrymisque genas venator obortis
Imbuet; aeternùm dicent me carmine vates;
Pectore sub memori noctesque diesque fovebit
Sponsa decore novo, niveas exserta mamillas.
Ponere non renuo vitam, convertere tergum
Nescio: quippe * acie clarum clarumque triumphis
Me vidit Phingal. Peragis qui rupibus aevum,
Fac modo te videam; coelesti lampade vectus
Labere; pande meum coràm irreparabile fatum,
Attamen haud fugiam, venti per inane frementis
Accola. Quae geminas inter suspenditur hastas,
Percute Cabadis veterem, sate Colgare, parmam.

* Nota, E.

Nec mora, continuò, notae sublimibus armis,
Erineae surgant gentes, pugnaeque parent se;
Jamque licet Phingal, nostrae spes magna salutis,
Necdum deveniat ventosâ Morvene, certus
Instaurabo acies omni discrimine rerum.

Per Lenam longè sonitus latèque vagatur,
Ocyùs et surgunt horrentes aere phalanges
Erineae, sicut cumulo praeruptus aquae mons,
Cùm ruit Oceanus, Boreasque exasperat undas.
Immani stant mole heroes; telaque quassant,
Brachia ceu quercus annoso robore, cùm fòrs
Bacchatur glacialis hyems, et frigore frondes
Exustae crepitant, ventoque hinc inde vehuntur.

Nubila canuerant; tremuit super aequora ponti
Clara dies; nabat nebulae sed caerula moles
Erigenas* circum, totumque obtexerat agmen.
Surgite, Lochlinidae; mea jussa capessite raptìm,
Matutinus ait Suaren. Formidine capti,
Erigenae cessêre loco: Cormacis ad arcem
Te fer, Morla levis; dic se, dic omnia victus
Ille mihi dedat, populum ne cuspide laesum
Excipiat miserum tumulus, perque Erinis oras
Viribus absumptis hiscat vox nuncia cladis.

* Nota, F.

Exiliunt, veluti volucrum grex aequore surgit,
Littora cùm subitus diverberat arcus aquarum;
Conclamantque omnes; mugitque sonoribus aether,
Sicut, per noctem ruptis ubi nubibus imbres
Descendêre graves, plangunt sub luminis ortum
Mille amnes, torto commixti vortice Conae:
Utque, sub Autumnum, clivi per devia tendunt
Informes atraeque umbrae, quas nubila jactant,
Excita flaminibus, laetumque arcentia Solem,
Succedunt aliis alii. Vestigia figit,
Ceu montanus aper, Suaren; torvùmque tuetur.
Illius elatus laevâ vomit aereus ignes
Flagrantes clypeus, sicut, nigrantibus umbris,
Æthereum lustrans montana cacumina fulgur,
Quùm silet omne solum, vastâ quùm luce coruscam
Ire videt Larvam, tremefactus membra, viator,
Oppositumque jugum nebulasque nemusque nitere.
Missus at intereà luctantis ab aequoris aestu
Ventus adest, nebulasque fugat, clivumque recludit;
Erineumque genus, fulgens praestantibus armis,
Conspicitur, qualem diductam littore rupem
Navita prospectat, longis erroribus actus
Cum saeviret hyems, cùm non tractabile coelum.
Ito, age, Morla; subi clivum, rex Lochlinis inquit;

Conversisque fugâ montesque petentibus altos
Fer pacis requiem, qualem do regibus orbis,
Cum caput inclinant gladio, veniamque precantur,
Virgineusque chorus lacrymarum flumina fundit.
Corripuit properè, generatus Spathare, magnus
Morla viam; cursuque levis, fastuque superbus
Erineum petiit ductorem, nube virorum
Stipatum; rumpitque ferox has ore loquelas.
Accipe quam pangit qualemque paciscitur unam
Rex pacem Suaren; leges simul excipe pacis,
Quas dicit, postqùam lectissima robora regum
Corruerint acie. Fluvios camposque nitentes
Erinis, uxoremque tuam, cervosque prementem
Olli dede canem: Bragellam tradere ne tu,
Cuchullin, dubita pulchram; gracilemque Luathum,
Qui rapidos cursu rapido praevertitur Euros.
Talia te fractae poscit rex pignora dextrae:
Cede viro, blandam si vis producere vitam.
Non ego, non cedo cuivis inglorius armis,
Fortis ait ductor; referesque hoc, Morla, superbo
Fuscorum domino clypeûm. Secet aequora Suaren,
Illiusve exscindam acies condamque sepulchris
Erineis; lucemque novam Dunscacide nunquam
Affulsura dies Hybernas afferet Arctos;

Sed neque Lochlineo surgens in cornua saltu,
Ullus anhelabit cervus vexante Luatho.
  Tune igitur, bijugum demens agitator equorum,
Morla refert, audes iterùm concurrere regi,
Qui potis* est terram, belli quae suscitat iras,
Sedibus avulsam, propriis vectare carinis?
Neve facit pluris viridanti vertice colles
Erineos pelagi domitor, rex Lochlinis altus.
  Haud opus† est verbis; victus tibi, Morla, loquendo
Cedo equidem, nulli duro certamine belli,
Suscipiens Cuchullin ait, Semonius heros.
Stat pugnare manu: dominabitur‡ Erine Cormac
Supremus rector, dum spiritus hos reget artus.
Talia jactantem§ Morlam, vir maxime, Connal,
Audisti: laudasne iterùm me pangere pacem,
Bellipotens heros, frangis qui dura potentum
Scuta virûm. Vitam, Crugal, qui degis inertem,
Quò mihi dira canis, magnae quò stragis acervos?
Exiguae caecas aulae juvat ire sub umbras,
Carmina sublimem si me, si gloria tollat.
Erinis ô pubes, pubes assueta triumphis,
Arboreum torque pilum tenuesque sagittas.

* Nota, G. † H. ‡ I. § K.

Aggredere Hybernâ missas à Lochline gentes,
Delapsae veluti coelo cum turbine Larvae. [vis
Jamque fremens densisque acies glomerata cater-
Progreditur; nebulamque refert, quae valle sub imâ
Cogitur in noctis faciem, cum nubila solem
Eripiunt, latèque silet vel murmuris aura.
Ante suos rutilis praestans dux ibat in armis,
Coelestis veluti Genius nigrantia calcat
Nubila, flagrantes indutus fulminis ignes,
Turbineûmque manu ventorum flamina gestans.
Stat medius tumulo Carril; cornuque sonorum
Attollit dextrâ, fortemque accendere pugnam
Aggreditur, fundens animoso pectore carmen.
Hei mihi! quis, Crugal, gelidâ te morte jacentem
Cespes habet viridans? Non replet odoribus aulam
Concha tuam; violat vultum pia Crugalis uxor,
Contristatque domum gravibus nova questibus hos-
pes*.
Ecqua, decore micans, mulier procul impetu in hostes
Prorumpit medios? Tortis Dogrena capillis,
Crugalis ipsa uxor, teretes exserta mamillas.
Aurea caesaries olli stridentibus auris

* Nota, L.

Funditur, ignescunt oculi, vox faucibus haeret.
Ah! tuus aërio cervorum tramite Crugal
Expallet; scopulusque cavus tenet illius Umbram.
Nocte super mediâ petiit me pace jacentem;
Allapsusque aures parco fuit ore locutus
Instar apis, culicisve volantis vespere circùm.
  Me miserum! Dogrena cadit, ceu lucida nubes
Ire recèns orto per coelum Sole videtur.
Barbarus en lateri capulo tenus abdidit ensem!
Deliciae procerum dulces, tot cura procorum
Occidit: ecce jacet, Carber, tua fama, decusque,
Filia, virga, decore virens, lectissima sylvae.
  Excepit* voces Carber gemitusque per auras;
Utque ingens fertur balena sequacibus undis,
Irruit. Ante oculos crudeli funere natam
Aspicit extinctam: perrumpit millia solus;
Fulmineumque rotans mucronem, in Lochlina saevit.
  Ingruit extemplò summi certaminis aestus
Hinc atque hinc. Quassant sylvam ceu flamina
Centenisque velut pinetum montibus ignes [centum,
Depascunt totidem, cinctae lethalibus armis
Vasta dabant acies, plagasque necemque ferebant.
Quà se cunque ferat Cuchullin, scinditur hostis,

* Nota M.

Carduus ut campi. Verùm premit Erina Suaren:
Sternitur illius dextrâ, quae parcere nescit,
Currac; sternitur et Carber, fortissimus heros;
Stratus in aeternam claudit sua lumina noctem
Morlanus; ponensque animam tu, Colta, tremiscis.
Ecce tibi niveum rubefactum est sanguine collum,
Disjectique jacent flavi tellure capilli.
Quo ruit ille loco festas extruxerat ante
Saepe dapes, citharam pulsavit saepe canoram,
Quùm jam laetitiâ, quùm jam latratibus auras
Implerent catuli, curvisque animosa juventus
Arcubus aptaret nervos. Se victor agebat
Suaren, uti tumidum deserta per avia flumen
Profluit, aggeribus ruptis; fertque omnia secum.
  Astabat medius Cuchullin Chrochmoris* instar,
Aethereas findit summo qui vertice nubes:
Irruit in clivos turbo, pinetaque quassat;
Rupibus insultat crepitanti grandine nimbus;
Saxeus at sese sustentat mole suâ mons,
Frigoraque atque hyemem Conae convallibus arcet.
Sic quoque Cuchullin, quà visque ruinaque poscunt,
Objectat sese clypeum tegmenque suorum;
Vulneraque igeminat; sequiturque à vulnere sanguis,
Fonte velut saliens tendit per gramina rivus.

* Nota, N.

At Lenae campo mediisque vagantibus Umbris
Erigenae pereunt, veluti nix sole liquescit,
Pallidus et clamat Grumal: premit agmine toto,
Pone sequens, Lochlin victrix. Quò statis, ut undis
Lucus arundineus mistis ac turbine venti?
Quâ datur ire viâ cervorum scandite clivos.
Dixerat: et, qualis cervus formidine pressus,
Proripuit sese; passusque hastile regebat
Sed, qui cum pavido verterunt Grumale tergum,
Exigui numero: saevissima bella moventes,
Phalliadae fundunt calido cum sanguine vitam
Pro Lenae scopulo, surgit qui vertice ad astra.
Gemmifero vectus curru Cuchullin aperto
Ire videbatur, stragisque ciebat acervos
Undique; conversusque inquit. Dux alme virorum,
Aspera qui nostram docuisti praelia dextram,
Defluxisse vides, Connal, certamine amicos.
Nos acie extremâ saevum cohibebimus hostem,
Vulnera miscentes. Vir longis obsite saeclis,
I, Carril, quà prima tibi fortuna salutis
Monstrat iter; tumulum nostros, age, defer ad istum.
Hùc ades, ô Connal; mecum sortire laborem,
Si fòrs relliquias belli defendere detur.
Emicat in currum; clypeûmque insigne decorum

Eminet, ut miris orbem velata tenebris
Luna, superba soror stellarum, cedit ab ortu,
Sollicitatque novis mortalia pectora curis.
Hàc Sifadda ferox, illàc Dusronnal anhelat,
Exsuperans acclive solum: nam Lochlinis urgent
Agmina, ceu fluctus balenam ponè sequuntur.

Erigenae Cromlâ, celsam tollente sub aethram
Culmina, se sistunt: referunt nemus ignibus ustum,
Quos noctis turbo, bacchatus collibus altis,
Sparsit atrox; non jam zephyris motantibus ullae
Dulce sonant frondes; non jam sub luminis auras
Sese subjiciunt rami. Vix unus, et alter
Hinc atque hinc, immani dissitus intervallo,
Assurgit stipes, flammâque nigrescit adesus.
Dux Semoniades patulae sub tegmine quercûs
Conticet; atque olli fundunt vaga flamina crinem.

Phyttilis hîc autem gnatus, vir cursibus acer,
Postubi prospectum maris exploraverat omnem,
Affuit, ac dictis coràm nova gaudia miscet.
Classis, * io classis! Phingalque, asperrimus heros,
Agmina in arma vocans, et scuta ingentia frangens,
Advenit: Albineae findunt vada caerula naves;

* Nota O.

Veliferi nutant mali sub vertice, qualis
Montanus lucus, palantia nubila lambens.
  Tum sua Cuchullin sic alta silentia rumpit.
Insula, quâ non est tellus mihi charior ulla,
Nunc nebulis emitte tuis in carbasa flatus :
Millia quò mactes propera, dux maxime bello,
Morvenis ô celsae rector, quem gloria cingit.
Me tua vela juvant, Phingal, rex optime regum,
Fulgor ut Eous ; classis, velut aureus alti
Vertice Sol fulgens coeli ; tu, sicut euntis
Maxima * flamma nigrae noctis, delata per orbem.
Qui struis ex animo convivia larga benigno,
Rebus in humanis nihil experiêris amico
Dulcius insigni, Connal. Nox humida clivos
Obsidet ; heu ! quaenam torquet nunc aequora Phingal ?
Quodve subit littus ? Tenebrae considere suadent,
Sidera dum coelo, Lunaeque refulserit orbis.
  Irruit in sylvam ventus ; cum murmure manant
E saxis fluvii ; Cromlam petit imbribus aether ;
Trans ruptas trepidant ardentia sidera nubes.
Multa putans, rauci sedit torrentis ad oram
Erineus ductor, nec non et Colgare Connal
Progenitus, Carrilque gravis labentibus annis.

* Luna.

Me Cuchullin ait, magno Semone creatus,
Usque adeò invisum, Connal, victoria fugit,
Quandoquidem coeli jucundo lumine et auris
Nudâram *juvenem, fato congressus acerbo:
Quemque Amun genuit nulli virtute secundus,
Ferda, tibi vinclum veri me vinxit amoris.
Dic, age, tum Connal, dic, ô Semonia proles,
Quì dux occiderit felix insignibus armis?
Nam Ferdam novi, generoso sanguine natum
Amunis: nituit formâ, velut imbrifer arcus.
Mox ita Cuchullin: devenit ab Albine Ferda
Littus ad Ullineum; centum convallibus unus
Regnabat, Murique aulis exercuit ensem.
Mî fuit ante alios charus; comes additus ibam
Venanti; consors in saltu lectus habebat.
Degyla quò memorem causamque caputque doloris?
Carberis uxor erat Degyl, ditione prementis
Ardvena ductoris. Stetit illius ore venustas
Plurima; sed posuit sub corde superbia sedem.
Deperiit porrò fulgurque decusque juventae,
Ferdam Amuniaden; dixitque, exosa maritum.
Da mihi † dimidium tondentis pascua, Carber,
Armenti; linquamque tuas, vir inutilis, aedes.
Tolle moras omnes; nam fert ita corde voluntas.

* Nota, P. † Q.

Tum contrà Carber: justis id partibus aequet
In nos Cuchullin, cujus sub pectore sacrum
Jus habitat. Salve, Degyl; lux optima, salve;
Æternùmque vale, mulier, quam gressus honestat.
Jamque pecus geminis paribusque ego partibus aequo,
Cùm superest unus praestanti corpore taurus,
Carbereisque, nefas! opibus, me judice, cedit.
Ob decus hoc pecoris, taurum candore nivali,
Quemque alius votis aliusque optaverat heros,
Exarsêre animis irae; formosaque Ferdam
Talibus aggreditur dilectum foemina dictis.
Me Semoniades curis ingentibus angit,
Immiscetque atrae nocti: fac, optime Ferda,
Mox cadat ante diem ferroque extrema sequatur;
Aut projecta ferar sinuosi Lubaris undâ,
Luminibusque tuis adero, teque insequar ultrix
Omnibus Umbra locis, trepidâ formidine captum.
Altior insurgens dirum Cuchullina perde,
Meve relinque animum nil magnae laudis egentem.
Quì potero, juvenis praestanti robore dixit,
Quì Sermoniaden potero, mea candida Degyl,
Perdere, consortem mentis rerumque mearum?
Dimidiumne mei scindam crudelibus armis?

Tres lacrymosa dies egit; quartâque sinistrae
Aptavit juvenis clypeum, contendere certus.
Aggrediamur, ait, Cuchullina, Degyl, ut optas:
Illius ast utinàm telis abrumpere vitam
Hanc mihi contingat! quì nam per saxa vagarer,
Impositumque olli possem spectare sepulchrum?
Pugnatum Muri campo est; at vulnera telum
Horrebat, galeasque cavas clypeosque rigentes
Segnius attingens, belli simulacra ciebat.
Astabat Degyl dictisque invadit amaris.
Optime Ferda, tibi languescit inutile telum;
Vulnificumque tener chalybem malè gestat ephebus.
Cede, puer; referat palmam Semonius heros,
Malmoream solido superat qui robore rupem.
At juveni rubuêre genae; fusisque rigantur
Errantes oculi lacrymis: nec multa locutus,
Erige, ait, clypeum, Cuchullin; pelle petentem
Ictibus haud meritis. Jam stat decernere ferro,
Quanquam animus tentasse horret, luctuque refugit.
Ingemui, sicut ventus per rupis hiatum
Sibilat; utque mihi ferus insurrexerat ensis,
Concidit heu belli fulmen! sub culmine collis
Ferda jacet busto, miserandâ morte peremptus.
Scilicet invisum me me victoria fugit,

Quandoquidem coeli jucundo lumine et auris
Nudâram juvenem, quo non mihi charior ullus.
  Tum solitus Carril modulari flebile carmen
Talia dicta dedit: riguae dux Phallidis acer,
Quique ornas currum, jam non ornaris ab illo,
Triste refers : animoque subit, quod tarda vetustas
Protulit in medium. Tacitis labentibus annis,
Comalis increpuit nomen memorabile famâ :
Sed, licet infelix telo mactâsset amicam
Dimidiumque animae, multo sublimis honore
Ex acie rediit victor pugnisque cruentis.
Is fuit Albineus princeps, centumque jugorum
Regnator ; cervique illius mille bibebant
Flumina ; latrabat centum sub cotibus altis
Turba canum ; roseo fulgebat in ore juventus,
Miscebatque manus bellum, stragemque ciebat
Heroum. Toto nympham sub corde recepit,
Nomine Galvinam, spoliis paterisque superbi,
Conloci sobolem, quâ non formosior usquàm.
Virgineos inter coetus namque ipsa refulsit,
Sicut Sol coelo : corvi vel nigrior alis
Ludebat crinis per candida colla ; citorum
Vis ibat catulûm sub littore ; montibus arcus
Stridebat ; posuit mens uno Comale sedem.

Alter in alterius figebat lumina vultu
Saepius; his amor unus enim, studiumque, laborque
Unus erat; sensusque animi clàm dicere juvit.

At, ditione premens nimbosas Ardvenis oras,
Illam etiam Grumal dilexit, turbidus hostis
Comalis: ibat hians, solam si fortè videret.
Jamque die quâdam, cum caetera turba vagatur,
Undique diffusâ nebulae caligine caecos
Defessi montes Comal virgoque relinquunt,
Ronanisque adeunt antrum, quà personat aequor
Fluctibus. Hîc fuerat solitus consistere Comal,
Venatu rediens; hîc illius arma fuerunt;
Hîc centum clypeos omni ferrugine puros
Constituit, centum galeas ex aere sonoro.

Introgressus ait: quod te nunc hospite gestit,
Hoc lato sedeas antro, lux alma decoris.
Rupe sub adversâ tollit se in cornua cervus
Magnâ mole; petam cursu; subitòque revertar.
Me, Galvina re fert, Grumal formidine complet,
Carmina quem tollent nunquam, nec gloria laudis.
Huic gratus Ronan, gratum est Ronanis et antrum.
I, donec redeas, arma inter densa morabor.
Moram Comal adit, cervoque acerrimus instat.

Comalis illa volens animum explorare fidemque,

Arma capit demens ; egressaque, sola vagatur
Littore. Prospexit ductor, dirumque putavit
Grumala devenisse locos : quatit ilia ; pallet ;
Omnia jam tenebris sentit nigrescere circùm ;
Intenditque arcum. Volat acta sagitta per auras ;
Et moribunda suo versat se sanguine virgo.
Pervolat ille ferox, latè loca questibus implens,
Galvinamque vocans, Conloco patre creatam.

Quis te, dicebat, quis habet, mea maxima cura,
Nympha decora, locus ? quis te malè sustulit error ?
Concava saxa silent ; silet omnis et undique tellus.
Quod modò de manibus multâ vi fugit in auras,
Vidit anhelanti defixum virgine telum.
Galvinamne, ait, * extinxi ? nec plura locutus,
Irruit in collum. Solos per lustra ferarum
Invenit miserans geminos venator amantes.

Inde aevum luctu Comal gemituque trahebat,
Conditus in nubem ; vestigia plurima fecit
Virginis ad lectae tumulum, lacrymasque ciebat.
Classis ut hostilis gelidâ devenerat Arcto,
Miscuit ille manus manibus ; peregrinaque passim
Agmina fundebat, quaquà densissimus hostis,
Jampridem invisam quaerens abrumpere vitam.

* Nota, R.

Quis tamen hunc posset cinctum fulgentibus armis
Perdere? projecit clypeum: praecordia telum
Invenit volitans. Tecum, Galvina, quiescit
Littus ad aequoreum positus: vestrumque sepulchrum
Navita prospectat, summis ubi pendet in undis.

PHINGALEIS,

SIVE

HIBERNIA LIBERATA.

IN SEX DIVISA LIBROS.

LIBRI TERTII ARGUMENTUM.

Cum prolatum carmen Cuchullini placuisset, gestas in Lochline res Phingalis, adhuc juvenis, virginisque Agandaecae fatum, rogatus recinit Carril. Vix quiescit is, ubi Calmar, Mathae filius, primique vel auctor praelii, vulneratus devenit acie; nunciatque eò tendere Suarena, ūt reliquas Hiberniae copias improvisus opprimat. Se autem significat velle omnem hostis impetum sustinere, dum sui se in tutum recipiant. Huic se facinori addit socium Cuchullin. Exortâ jam luce, vulneribus confectus, Calmar moritur. Erigenas insecutus, videt Suaren Phingala; ipsumque petit toto agmine. Ob cladem moestus Turâ se condit Cuchullin. Lochlinidas interim oppugnat Phingal: at, instante nocte, victoria differtur. Oscara, nepotem laudat edocetque rex. Suarenis exploratum molimina mittuntur Follanus atque Oscar. Rogat inde Gollus, Morni filius, ut proximae summa pugnae se penes sit; annuitque Phingal; qui, priusquam se dat somno, Agandaecae absentem Umbram affatur. Quae tertiae sunt diei pulchrâ in patrem pietate concludit Ossianes.

PHINGALEIS.

LIBER TERTIUS.

HAEC ubi cantârat Carril, dulcedine mentem
Carmina demulcent, inquit Semonius heros;
Et repetita subit decursi temporis aetas,
Haud secus ac passim diffusus mane benigno
Ros super arbustis, capreaeque virentibus herbis,
Cum Sol exoriens lustrat jam summa jugorum
Culmina, caeruleusque imâ convalle quiescit
E regione lacus. Rursùm sub sidera blandam
Tolle, senex Carril, vocem; cantumque moveto,
Quo sonuit quondàm, quondàm mea gestiit aula,
Rex ubi bellipotens coràm melioribus annis
Afforet, ac numeris ardens intenderet aures.
Paruit hîc Carril, magnoque haec ore profudit.
Optime rex, Phingal, durosque experte labores,
Plurima miscueras certamina; saepe frementis

Retulit ad Selmam te pompa, decusque, triumphi.
Lochlina fudisti justas effusus in iras,
Cum te primaevo vestiret flore juventus:
Laetos despexêre annos malasque rubentes
Lochlinidae; victrixque neci mox, vana tumentes,
Hos tua dextra dedit, magnorum maxime regum.

Quâ vel Lora* ruit spumatque gemitque sub auras,
Faucibus angustis fervens, vi Phingal in armis
Rex ibat; juvenumque manus, manus optima bello
Pone sequebatur; sonuitque, ut flumina mille,
Cùm gelidâ Starno dominatus Lochline captus
Devinctusque fuit, manibus post terga ligatis,
Compedibusque abiit liber, classique remissus.

Volverat hinc tumidos irarum pectore fluctus
Barbarus; ac tacitum noctesque diesque fovebat
Phingalis exitium, victus cui cesserat uni:
Utque domum rediit, seditque in Gormalis aulâ,
Snyvena, qui passus canos, qui carmina pronus
Lodinis† ad signum fundebat colle repostum,
Auditusque novas acies, nova bella ciebat,
Ocyùs accivit, simulatâ mente locutus.

Impiger i, Snyven, niveâ cui spargitur aetas

* Nota, A. † B.

Canitie, Selmamque subi, per Morvenis oras
Littore surgentem curvo; mea dicta ferentem
Excipiat praestans animis formâque tyrannus.
Huic thalami* sociam, spirat quae pectore cantum,
Ipse dabo gnatam; nec pulchrior exserit usquàm
Nympha sinum. Spumam, summis quae volvitur
Illius aequiparant nivei candore lacerti; [undis,
Errantesque comae nigrescunt; blandaque miram
Mens superat formam, moresque habitusque benigni.
Æquora trajiciat Phingal, visatque puellam,
Quae secreta adytis nunquam penetralibus exit.

Ventosas tandem penetravit Morvenis oras
Advectus Snyven: septusque cohorte suorum
Phingal abit; longèque animus praevertitur ipsum,
Virginis eximiae magno perculsus amore.

Salve, fuscus ait Starno, rex alte jugorum,
Comalide§! fortes regis salvete sodales,
Quos alit assurgens medio latissima ponto
Insula! Tres† epulis extructis condite Soles,
Tresque exinde alios cervis aprisque premendis
Per montes vallesque cavas; seclusaque vestram
Auribus excipiet famam lectissima virgo.

Jam, quamvis atro versaret pectore lethum

* Nota, C. † D.

§ Comal pater erat Phingalis.

Phingaleum, plenis struxit convivia mensis.
Insidias veritus Phingal caecumque furorem
Ære refulgebat; positumque hastile prehendit.
Conticuêre omnes defixique ora tenebant
Lochlinidae: cecidêre animi; formidine fugit
Impia turba virûm, caedem molita nefandam;
Rursus et ingenti sonuerunt omnia plausu
Tecta domûs, nervisque lyrae crepuêre canoris.
Praelia cantârunt vates niveasque puellas,
Delicias procerum, vates cùm Phingalis, Ullin,
Qui Conae valles cantu resonare docebat,
Laudibus ad coelum generatam Lochline nympham
Extulit, ac magnum dominantem Morvene regem.
  Hauserat illa sonos; et, jam penetrale relinquens,
Constitit heroum coetu purissima, qualis,
Nubibus erumpens, super aequora Luna renidet.
Fulsit enim nivei radiis adoperta decoris
Undique; composito* referebat carmina vatum
Incessu. Nympham Phingal veneratus honestam
Mollia de forti suspiria pectore fudit;
Ipsaque caeruleos oculos demissa ferebat
Morvenis in regem canentis rupibus altis.
  Tertia lux postquàm clivos lustrârat aprorum

* Nota E.

Vespere sub sero, venatum saltibus ultrò
Ire parant Starno, Phingalque asperrimus armis,
Incertosque abeunt primi sub luminis ortus.
Immaduit Selmae cuspis mox caede ferarum.

Dimidium coeli vix Sol trajecerat orbem,
Cum jam Starnine dirarum haud inscia rerum,
Fletibus humectans oculos malasque decoras,
Morvenium regem, magnis virtutibus actum,
Dulcibus alloquis monituque accessit amico.

Maxime priscorum Phingal sate sanguine regum,
Ah tibi fac caveas, inquit, genitoris ab astu!
Arripuêre locum clivo, sylvisque teguntur
Illius juvenes, telisque armantur iniquis.
Fac sylvam fugias lethali crimine foetam,
Albinei rector populi fortissime; meque,
Talia nudantem, serves genetoris ab irâ.

Haud minùs ille jugum scandit, comitante suorum
Armipotente manu juvenum; diramque catervam
Invadit, fusoque aspergit sanguine lucum.
Gormalis it clivo strepitus, longèque resultat.

Laetas ante aedes venantum substitit ingens
Monte corona redux; turbato pectore substat
Rex medius Starno, frontemque * in nubila cogit.

* Nota, F.

Illius ardescunt oculi, ceu fulgura noctis.
Hùc, inquit princeps, hastis et sanguine gaudens,
Agandaeca, subi : meritâ tu morte peribis.
Morvenio mentemque meam casusque paratos
Nudasti domino: madet ille cruore meorum.
Succedit lacrymis oculos tepefacta rubentes,
Passaque caesariem virgo; suspiria jactat
Pectore, quod niveo superat candore volutam
Lubaris effusi spumam; genitorque severus
Districtum lateri gladium mox abdit. At illa
Concidit, ut summae nix acta crepidine rupis,
Cùm silet omne nemus, silet omnis et ardua tellus :
Jamque repentinis clivus fremit ictibus omnis
Concussus; vallemque natat resonabilis echo.
Adventat Phingal, vultuque animisque tremendus
Excitat in pugnam, secum quos Albine duxit;
Pugnaturque diu telis, velut aequora fervent
Flatibus adversis; ferri vis Lochlina fudit.
Protinus ad navem corpus lacrymabile Phingal
Sustulit, et sese commisit fluctibus alti;
Ardvenioque solo dulcis per aperta locorum
Agandaeca jacet. Circumsonat aequoris aestus
Exilem sine Sole domum, penetralia lethi.
Sera tibi, Cuchullin ait, nivis aemula virgo,

Gaudia pertentent animum ; tuque, optime vates,
Aeternùm valeas, Carril ; quem carmine dicis,
Egregius valeat fortunatusque laborum
Rex Phingal. Viguit primis ineuntibus annis,
Fulmineumque senex dextrâ circùmrotat ensem.
Lochlina contundet rursus rex maximus armis,
Qui regit imperio montes vallesque profundas.

Luna, decus noctis magnum, fax aemula Solis,
Exsere te latebris ; lustraque aspergine lucis
Carbasa Morvenidûm, lentis pendentia malis.
Si liquido fortis vitam Mens * Aethere degas,
Nube habitans mediâ, caecisque obducta tenebris,
Nimborumque potens tempestatumque frementum,
Da facilem cursum, scopulisque averte carinas.

Vix bene finierat, venit quum vulnere tardus
Mathaides : sociis acie cedentibus, ibat
Hic sanie taboque fluens. Certamine fractus
Elanguet ductor, lentâque innititur hastâ :
Vivida sed virtus animi sub pectore fervet.

Salve! mox Connal ; salve! te laetor amicis
Adventasse tuis, Calmar. Quìd corde profundos
Das gemitus ? Non te vis ferrea moverat unquam.

* Nota G.

Nunquam, respondet Calmar; nunquamque mo-
Dux rerum prudens, teloque insignis acuto. [vebit,
Mens mihi gliscit ovans, belli cùm turbidus horror
Ingruit; utque melos, clamor strepitusque phalangum
Adveniunt aures. Duco de patribus ortum
Vulnificis, acies qui non metuêre; meaeque
Alta quidem posuit Cormar primordia gentis.

Hujus erant pelagus tempestatesque sonantes
Deliciae: nigrâ quondam tenuique carinâ,
Concitus aligeris ventis, vada salsa secabat.
Nox erat; insolito latè loca murmure * Larva
Miscuerat; tumuit pelagus; scopulique gemebant.
Nubila vexabat turbo; simul ignibus undae
Fulserunt. Metuit Cormar; sub littora tendit.
At metuisse virum puduit, repetitque profundum,
Si fòrs inveniat subvectam flamine Larvam.
Tres subigunt juvenes puppim; gladium ipse coruscat:
Jamque videt, nebulis obscuroque aëre septam,
Ire levem formam propiùs; laevâque prehendit
Caesariem, conditque premens in viscera ferrum.
Horridus auditur stridor; diffugit imago;
Flamina se ponunt, stellaeque ac Luna relucent.

Dum memor ipse mei, patres ego fortibus ausis

* Nota, H.

Pone sequar. Quidni? strictum discrimina telum
Dimovet, audacemque virum sors aspera nescit.
Vos ô, quos viridans aluit sub vallibus Erin,
Linquite praecipites madefactam sanguine Lenam:
Cogite qui superant, sociosque adjungite regi
Morvenio. Subeunt hostes; mihi perculit aures
Crebrescens horum strepitus. Decurrite; solus
Hîc stabo; validum solus certamen inibo;
Replebo clamore locum, ceu mille sequantur.
Vicerit * ut Phingal, me tu, Semonia proles,
Mente fove memori, corpusque exsangue sepulchro
Redde, oro. Nomen ventura in saecula mittant,
Appositi tumulo, Lapides: pia gaudia carpat
Aspiciens mater famae monumenta perennis.
Non te destitui, dixit dux Phallydis, unquam;
Te nec, Mathaide, tanto discrimine rerum
Destituam. Mediis clypeis medioque tumultu
Mens mihi laetitiâ exultat, majorque videtur.
Non ego jam verti, stat non hinc vertere tergum.
Leni animo Connal †, Carril, labentibus annis
Obsite, trans istum nostros abducite clivum
Ocyùs heroas, rursus certare paratos;
Cumque hujus belli tandem subsederit aestus,

* Nota, I. † K.

Tum geminos bellare viros cum millibus ausos
Quaeretis studio, caesosque videbitis ipsos
Calle sub angustae vallis. Sate Phyttile, Lenam
Trajicito ; littus, pontumque require frementem :
Dic rex Morvenius properet vestigia ; ceu Sol,
Prosiliat Phingal, tempestatesque serenet
Erinis, ore coruscanti nova gaudia fundens.
Sparserat intereà cano Sol lumine Cromlam,
Lochlinidaeque loco succedunt. Calmare virtus
Fervida regnat adhuc ; torpent at corpore vires.
Pallet enim ductor, patrisque incumbit in hastam,
Quam rapuit, Larâ bellatum certus eundi,
Saucia cùm mater curis, Alcletha, doleret,
Terque quaterque manu pectus laniaret honestum,
Multa gemens, noctisque atrae demersa tenebris ;
Quam medias inter fulgentes aere catervas
Per Lenae tumulos crispavit percitus irâ ;
Quamque ubi luctatur densos immittere in hostes,
Concidit * ipse, velut devicta bipennibus ilex.
Objicit † at sese Cuchullin millibus unum
Arduus arma tenens ; perstatque, ut littore cautes,
In durum quanquàm pulsantibus irruit undis

* Nota, L. † M.

Oceanus latus, et spumam sub vertice volvit,
Vicinique fremunt immani murmure colles.
  Hîc canas inter nebulas super aequora classis
Apparet; tenditque albentia carbasa ventus;
Comalidae classis, dominique ducisque phalangum.
Lucus uti, sese malorum robora tollunt,
Inque vicem nutant. Allabi littore classem
Respicit è tumulo Suaren; retròque, relictis
Erigenis, praeceps animi vestigia torquet;
Morveniumque * ducem toto petit agmine, sicut
Itve reditve fremens rabie trans Orcadas aestus
Oceani. Bello Cuchullin moestus acerbo,
Ingentemque trahens hastam post terga, latebris
Infert se sylvae, qualis de nocte cometes,
Triste per augurium mortalia pectora ducens.
Suffusus lacrymis, secum plorabat amicos,
Quos Lenae stratos campo sopor altus habebat:
Phingalis os metuit, toties qui plauserat ipsi
Ex acie reduci, cincto victricibus armis.
  Hei mihi! dicebat, quae quantaque robora belli
Amisisti, Erin, proceresque ducesque potentes,
Laetatosque meis olim genialibus aulis.
Hos ego non inter venandum exinde videbo:

* Nota, N.

Non mihi nota diu vox grata feretur ad aures.
Conticuêre obitu; tenebris conduntur opacis.
Vos autem formae tenues animaeque meorum,
Hinc mihi per Cromlam mediis occurrite ventis
Turbineis; vestro me compellate susurro,
Cum Turae quercus pendentia brachia quassat,
Horrificusque sonus deserta per alta vagatur.
En procul à patriâ spretusque humilisque jacebo:
Me non agnoscent, recinant qui carmina vates;
Nec mihi ponetur saxum, tumulusve secundum
Æquora, nec viridi sinuosae gramine vallis.
Jam, Bragella, vale; supremo funere mersum,
Me plora, vacuas quoniam mea fama per auras
Fracta loco cessit. Moerens haec * corde profudit
Cuchullin, clivumque abiens superavit iniquum.
Substitit in puppi, dextrâque hastile tetendit
Arduus arboreum Phingal; totusque reluxit
Sole lacessitis heros conspectus in armis,
Per noctem veluti summo sub Malmore flagrat,
Aethera transcurrens, lethi praenuncius ignis;
Quique viam carpit caecam, vestigia sistit
Attonitus, visumque imo sub corde volutat.
Pugnatum est, inquit genitor: tenet aequora campi

* Nota, O.

Exitium; fuso saltus rubet iste meorum
Sanguine. Lena, tibi squalent nunc omnia circùm;
Nunc squalent frutices, squalent per devia Cromlae
Ingentes luctu quercus. Venatica pubes,
Exsuperans virtute, ruit; ruit ictibus asper
Semonis natus. Follane ac Roena, sonorum
Tollite Morvenidûm cornu; conscendite collem;
Praecipitate moras. Hostis, clamoribus actus,
Irgaleos adeat latices ex aggere magni
Lamdargi, gelidâ dudum qui morte quievit.
Conclamate, velut genitor, cum praelia miscet.
Suarena, Lochlineum praestanti robore regem,
Opperiar Lenâ: solus, fultusve suorum
Omnibus agminibus veniat, nìl deprecor, heros,
Dicite: namque sumus genus intractabile bello.
Fulminis in morem rufus petit ardua collis
Roena; subit frater, veluti secat aethera nubes
Percita flaminibus. Resonat sub vallibus imis
Morvenium cornu: proles sata fluctibus alti
Senserat; utque fremit refluitque nivalibus oris
Excitus oceanus, fortes densaeque phalanges
Delabebantur clivosi tramite montis
Lochlineae. Primus magnâ se mole ferebat
Exultans Suaren, fretusque nocentibus armis:

Totus inhorruerat, saevasque exarsit in iras.
Lumina torquebant flammas, montanus ut ignis,
Quem validi pascit jactatque insania venti.
  Viderat* ut Phingal, mentem nivis aemula virgo,
Agandaeca, subit; vates ac mittitur Ullin,
Suarena qui rogitet dapibus succedere regis
Morvenii, pandit placido qui gaudia vultu,
Cum lenem meminit nympham, sub corde receptam
Jamdudum: vatesque adiit; coràmque profatur.
  Armipotens, alio prodis qui littore, princeps,
Quique refers chlamyde et rigidis conspectus in armis
Immanem scopulum, mediis qui fluctibus extat,
Hospes adi regem, quo non praestantior alter
Est heros; mensisque hodie dapibusque vacato.
Crastina lux franget clypeos, jactabit et hastas,
Praelia commiscens. Clypeos nunc ipse refringo,
Turbidus orsa refert Suaren: cràs aethere cassus
Rex erit ille tuus; Suarenque suique vacabunt
Laetitiae dapibusque duces. Convivia laetus
Suaren agat, risu respondit Phingal honesto.
Haud mora, pugnabo: frangamus fortia fortes
Scuta viri; laterique meo tu proximus esto,
Ossianes, acie; magnum, dux alte, corusca,

* Nota, P.

Golle, manu gladium ; celeres emitte sagittas,
Contendens arcum, Fera ; Follane, trementem
Intorque summis adnixus viribus hastam.
Ite animis alacres : vestri per inane vagantes
Obductam referant clypei ferrugine Lunam ;
Vestraque tela hosti, mortis certissimus auctor,
Immineant; centumque unus certamine praestet.

Haec ubi dicta, ruunt centum ceu flamina vastas
Morvenis in sylvas, centum ceu flumina clivis
Praecipitant, magnum veluti per inane vehuntur
Nubila, prout sese pelagus sub littora fundit,
Acres concurrêre viri ; clamorque phalangum
Per campum resonat, resonat per summa jugorum
Culmina, ceu mediis tonitru nigrantibus umbris,
Cum supra Conam rupto cadit aethere nimbus,
Innumerique gemunt ventorum in flamine Manes.

Aequora per campi Phingal, vi concitus, ibat,
Sicut provehitur defunctus corpore Trenmor,
Turbine quum pluvio delatus Morvena visit
Progeniemque suam : subter dant murmura quercus ;
Labuntur scopuli ; radiantis fulminis ignem
Antevolat praeceps heros, cursuque superbo
Transgreditur valles et culmina summa jugorum.
Segnior haud genitor, Phingal ; totamque cruore

Perfudit Lenam, magnum quùm strinxerat ensem,
Pectore sub memori volvens, quod gesserat olim
Immensum juvenis bellum * convallibus imis.
  Fulminis in morem rapuit se Roena ; feroxque
Gollus inhorrebat totus, gladiumque rotabat ;
Ibat, uti turbo, Feras ; ceu concita nubes,
Follanus ; praeceps, ut visque ruinaque montis,
Institit Ossianes. Laetabar † pectore toto,
Proximus admirans gressumque manusque parentis ;
Fulmineusque meus miserando corpora letho
Plura dedit gladius. Quid non mutaverit aetas?
Non mihi tunc miseris squalebant tempora canis ;
Dextera non tremuit senio ; non lumine captus
Moerebam vitamque extrema per omnia ducens.
Tunc indefessus potui percurrere mundum.
  Funera quis fando numeret, quis magna potentum
Facta ducum, saevas ubi rex effuderat iras,
Lochlinidas ferro populatus ubique locorum?
Crevit in immensum sublatus ad Aethera clamor,
Cum nox praecipitat, terraeque marique recumbit.
  Sub tumulo, veluti trepidâ formidine cervi,
Se glomerant hostes : tacitasque ad Lubaris undas
Nos citharis animos laeti praestamus et aures.

* Cum Romanis.

† Nota, Q.

Lochlinidûm castris rex proximus ipse locatus
Considet, ac captat volitantia murmura vatum,
Qui genus et proavos et fortia facta parentum
Versibus exponunt, et coelo laudibus aequant.
Incumbit genitor clypeo, dans spargere ventis
Caesariem, versansque imo sub pectore tempus
Praeteritum proceresque immani robore notos.
  Arboris ad truncum telis asperrimus Oscar
Stat contrà; nunquamque oculos a Phingale torquet:
Haeret enim, versatque animo, quae fortia jamjam
Magnus gessit avus, cum talia regius heros.
  Macte* novâ virtute Oscar; te cominùs hosti
Congressum vidi; dextrâ nec torpuit ensis;
Laetabarque acri bello praestare nepotem.
Tu famam sectare virûm, quos abstulit aevum
Sublapsum; proavos imitare in saecula notos.
Hûc curas impende omnes, omnemque laborem
Dirige, quò fueris, qualis fortissimus unus
Heroum Trenmor, qualis dux ille cohortum
Trathal erat†: primo certamina flore juventae
Moverunt olli; resonant modo carmine vatum.
Fortia debella miscentem praelia dextram;
Parce minùs validae, strictis ubi cesserit armis.

* Nota, R. † S.

Ut ruit Hyberno vel quà rapidissimus aestu
Per vada salsa latex, i Phennidis* obvius hosti;
Æstivusque velut zephyrorum spiritus agros
Mulcet, ades duro fractis discrimine rerum.
Talis erat Trenmor, Trathalque; illosque secutus
Talem me gessi. Deprenso rebus in arctis
Affueram semper facilis, dextramque tetendi
Obvius; isque mei teli requievit in umbrâ.
Haud bellatorem, quanquàm nìl viribus esset
Par mihi, respueram quemvis; hostisque cruorem
Nullius expetii, pacem qui pangere vellet.
Quò rex Morvenius jactet quae fortia quondam
Moverat? In medium profert haec cana senectus
Qui fuerim, fuerint solido quae corpore vires.

Ceu tu nunc, Oscar, ridebam flore juventae,
Cum nova lux formae, memet Fansollyna supplex
Trans tumidum petiit pelagus. De Gulbine gressum
Ipse reducebam, paucis comitatus amicis,
Prospectuque subit navis, cui carbasa candent,
Lucida ceu nubes, quae transvolat aequora flabris;
Cumque propinquârat, niveo mox pectore nymham
Stare unam vidi. Tortos vaga flamina crines
Turbabant; roseaeque genae maduêre profusis

* Nota, T.

Fletibus. O formâ, dixi, pulcherrima virgo,
Quae prodis pelago, tibi quid praecordia jactat?
Fasne levare mihi quae te modo cura remordet
Aspera? Pubesco; sunt qui contendere mecum
Ense valent; verùm gliscit mihi pectore virtus.
Tum sic orsa refert, dictis suspiria miscens.
Ad te confugio, Phingal, fortissime princeps,
Cui nitet oris honor mirus; quique indole praestas,
Et rerum fessis dextrâ succuris amicâ.
Me duxit genitor, genitor, dum vita manebat,
Grande decus generis; multosque effundere questus
Pectora, quae duro Fansollyna torsit amore,
Audierat Galmar. Sorae rex vidit, et arsit
Me miseram, fovit gremio quam regia Cracae;
Bellantisque viri dextrâ, vastator ut ignis,
Usque micat gladius: nigrumque minaxque tumescit
Fronte supercilium; saevit sub corde procella.
Borbaris invidiam fugiens, me fluctibus alti
Commisi: rapidis at me premit excitus Euris.
Parce metu, clypeique mei requiesce sub umbrâ,
Virga decore virens, inquam. Si dextera mentem
Viribus aequiparet nostram, te Borbar abactus
Deseret. Hinc paulùm cedens, te condere possem
Rupe cavâ tutam: nolo sed vertere tergum;

Cum premit immitis casus, cum tempora poscunt,
Hoc caput hastarum licet objectare periclo.
Heu! metuo, Phingal, metuo, Fansollyna reddit,
Borbaris immensas vires animumque ferocem:
Turbidus annosas ceu sylvas dejicit Eurus,
Ille catervàtim certamine corpora mactat.
Dixerat: ac largo violabat flumine malas;
Ingemuique dolens blandoque incensus amore;
Jamque instar flnctûs, procul è regione voluti,
Borbaris apparet navis, summoque resultat
Acta salo: referuntque nivem volitantia vela;
Circum spuma ruit; miscetur murmure pontus.
Æquora qui calcas, hùc, clamo, dirige cursum;
Hospitio dudum positas adeuntibus, aedes
Hospes adi, mecumque epulis accumbe benignus.
Si tibi fert animus bellare, haud ipse recuso;
Stant belli causae; plorat Fansollyna coràm.
Substitit illa tremens: arcum dux advena tendit;
Certa sagitta petit nympham, quae vulnere saevo
Victa ruit; referensque, inquam, de corde dolorem,
Haud male dirèxti. Verùm, si foemina telo
Fracta jacet, Borbar, non magnae est gloria laudis.
In me nunc ferrum converte; tuique meique
Certabunt socii; sors debita quemque sequetur.

Nec mora, congressi duro certamine dextras
Conserimus; Borbarque meis perrumpitur armis.
Ipsum mandamus terrae; juxtàque puellam
Egregiam rutilumque viri demittimus ensem.
Pòst lapis impositus tumulum designat ad undas:
Quae dudum requievit humo, Fansollyna vatum
Ore sonat, famâque viget. Si fortè sepulchrum
Borbaris infausti lustrem, mens aegra dolore
Succidit: antiquisque viros virtutibus actos
Ipse fui semper magno dignatus honore.
Sanguineis, Oscar, dirum est contendere telis:
Nam rapit ante diem vis ferrea bellatores.
Haec mihi vel primis sententia sedit ab annis;
Tuque meos sectare gradus ad damna senectae.
Haud inferre para* bellum, sed pellere vim vi.
Praecipitate moram, juvenes pernicibus alis;
I, Follane; puer fuscis i crinibus Oscar.
Discite quà sese valido certamine laesos
Lochlinidae vertant. Fremitus mihi fertur ad aures,
Qualis, quum sylvâ pelagove immurmuret Auster.
Accelerate gradum, ne fòrs meditentur ad Arcton
Findere classe undas, nostrumque evadere ferrum,

* Nota U.

Postquàm tot cecidêre duces, tot robora gentis,
Quam tulit Aethereo circumsona Cromla fragore,
Fracta jacent semper caecâ caligine lethi.
  Corripuêre viam, liquidum velut aëra verrunt
Nubibus evecti Lemures, et imagine mortis
Mortales terrent, curis ingentibus aegros.
Inde, instar scopuli, stetit è regione per umbras
Morniades* Gollus; dextrâ simul extulit hastam
Luce coruscantem stellarum; et vocibus ultrò
Phingala compellat, sicut sonat aestus aquarum,
Praecipitis tenui labentum tramite clivi.
  Morvena qui regis imperio, rex optime regum,
Rex cyathis felix, felix insignibus armis,
Dic vatum resonet cantus; dic Erinis acres
Attollat socios fusâ dulcedine circùm.
Fulmineum gladium vaginâ conde; tuoque
Da populo, Phingal, quod fas et jura requirunt.
Nos, en! succidimus; nec adhuc nos gloria cingit,
Cum tibi contingat quamvis abrumpere parmam.
Ergo, age, cum primùm clivis aurora rubebit,
Tu procul è tumulo virtutem despice nostram;
Lochlinidaeque meum maris experiantur ad undas

* Nota V.

Haud timidum ferrum ; sic namque per ora virorum
Notus agar cantu. Patres, quìn ipse solebas
Ire acie, Phingal, pugnas ineuntibus hastis.
Me tua, Morniade, tum Phingal, gloria tangit:
Teque penes primae sit pugnae summa potestas;
Hastaque, non mollis tactu, te pone sequetur.
Vos quibus est studium meditando extundere versus,
Plectite jam citharas, citharis adjungite carmen,
Inque gravem, vates, mea condite lumina somnum.
Hîc ego procumbam rauci sub margine rivi
Flamine ventorum medius mediusque tenebris.
Si nunc, Agandaeca, tuis tu gentibus adstas
Per Lenae tumulos, harumque teneris amore,
Quodve rear potius, celeres si vecta per auras
Isque redisque super naves trans aequora ponti,
O me fac adeas; totum fac, alma decoris
Lux, innes animum, placidâ dum pace quiesco.
Innumerae vocesque unà citharaeque per auras
Insonuêre: canunt dulci certamine vates
Res bello gestas regis, ductosque triumphos,
Magnanimique ducis notam per saecula gentem:
Ibat et Ossianis nomen sub sidera mistis
Carminibus, cursusque levis, telumque coruscum.
Saepe ego bellavi ; felix victoria cessit

Saepe mihi, quàmvis caligine mersus opacâ
Nunc homines comitor, nìl magnae laudis egentes.
Non lectos proceres, non te, pater alme, videbo
Amplius. En ! avido viridantem caprea mordet
Dente tuum, Phingal, tumulum, qui Morvenis altus
Regnâras dominus. Verùm hâc tua laude fruatur
Umbra piâ, liquidas coeli spatiata per oras,
O pater, ô praestans olim felicibus armis
Dux procerum, saxis genuit quos aspera Morven.

PHINGALEIS,

SIVE

HIBERNIA LIBERATA.

IN SEX DIVISA LIBROS.

LIBRI QUARTI ARGUMENTUM.

Paulùm digredi visus, Malvinam, Toscaris natam, quam filius adamavit Oscar, alloquitur Ossianes; narratque ea, quae gessit ipse, adhuc junior, in Hiberniâ, apud Legonem, uxorem ducturus Evirallyna, Brannonis filiam, jàm ante defunctam corpore, quàm haec Phingalis contigit expeditio. Apparet ipsi Umbra Evirallynis, cùm Oscara praemissa cohors aggreditur. Adventantis hostis fremitum expergefactus captat rex, qui sub extremam noctem, inter somnia, dilectae videt Agandaecae simulacrum. Continuò suos convocat, hortaturque ut Golli exemplo fortiter agant; tum colli succedit, unde praelium despiciat. Id porrò committitur. Devincunt Ossianes Oscarque; at, parte aliâ, premitur ab hoste Gollus; quod ubi sentit Phingal, vatem mittit Ullina, qui illum comitesque carmine ad fortia excitet. Ingenti tamen Suarenis facto impetu pulsus, recedit Gollus. Relicto colle, instaurat Phingal acies. Occupato tumulo, turbatum reficit agmen Suaren; Phingalisque adventum expectat. Ad Turam stans, fragorem pugnae audit Cuchullin; collemque ascendens, confligere videt Phingala, cui se adjungere meditatur. Huic obstat consilio Connal, ne quid ideò decerpatur Phingalis gloriae. Mittitur itaque Carril, qui victori gratuletur.

PHINGALEIS.

LIBER QUARTUS.

Ecqua, * decore nitens, coeli velut imbrifer arcus,
Monte subit virgo, demulcetque Æthera cantu?
Dulce loquens, virgo lenis; sata Toscare, virgo
Candenti dextrâ; nigris Malvina capillis.
Saepe tibi cecini: pendensque ex ore canentis
Luctu saepe meo doluisti; saepe decoras
Fudisti lacrymas. Magnosne audire labores,
Quaeque tuus movit fulgentibus Oscar in armis,
Bella juvat? Quando saevum finire dolorem
Heu tumidas potero Conae plangentis ad undas!
Egi aevum bello! pulsis melioribus annis,
Me longi vexant gemitus et damna senectae †.

* Nota, A. † B.

Non ita moerebam, virgo candore nivali,
Non hâc mersus eram fusâ caligine circùm,
Cùm me posthabitis Evirallyn amaverat unum
Millibus, errantes pulcherrima nympha capillos,
Candentique sinu dulcis Brannonia proles.
Erinei proceres insigni pectore et armis
Illam arsêre proci; dextramque petentibus ollis
Abnuit: ante alios visus lectissimus omnes,
Juverat Ossianes. Nympham deposcere certus,
Legonemque adiens, secui vada turbida ponti;
Meque fuit generosa phalanx comitata virorum,
Roscida quos rivis, scopulis quos aspera Morven
Fuderat. Appulsos excepit maximus heros
Ante fores, Branno, loricam indutus ahenam;
Protendensque manum manibus, sic farier infit:
Unde gradum, juvenes? rutilis quid poscitis armis
Instructi? Facilem non se mea nata remittet,
Caeruleis oculis proceres quae respuit omnes
Erineos. Salve, salve, dux alte phalangum,
Phingalis ô soboles, famâ super aethera noti!
Felix sorte suâ, quae se tibi reddat amantem
Virgo, bellator gestis celeberrime rebus!
Si mihi bissenae praestanti corpore natae,
Ossianes, essent, quam tu magis omnibus unam

Arsisses, vinclo cuperem sociare jugali.
Inde bonus felixque recludit virginis aulam.
Perculsi colimus visum ! sub pectore motus
Sentimus miros ! nympham salvere jubemus
Unanimi, claro Brannonis sanguine cretam.
Æmulus intereà molli sub gramine clivi
Apparet Cormac, octo comitatus amicis :
Fortium ahena virûm longè lorica refulsit,
Solis inardescens radiis. Ibi vulneris auctor
Saevi, Colta fuit ; nec non et Durra tremendis
Viribus ; et, priscis gemini virtutibus acti,
Tog Fresdalque : manu non aspernandus et heros,
Dora ; potensque acie magnique vir agminis instar,
Dola unus. Pulchris pulcher conspectus in armis
Spargebat juvenis districto fulgura telo.
Exiit Ossianes, totidemque in fortia lectos
Ex his, qui secum superârunt aequora, duxit.
Constitit hos inter bello dux optimus, Ullin ;
Mullaque nobilibus factis ; Scallacque benignis
Moribus excellens. Irâ stetit excitus Oglan ;
Tuque, ferox Cardal. Roenae certissima proles,
Duva niger ciliis, lethoque instare paratus,
Affuit, et mecum campo furit acer aperto.

Ultimus ipse meo quìd carmine diceris, Ogar,
Alme vir, Ardvenias famâ memorate per oras.
  Comìnus hic Dolae certat; jamque aspera surgit
Pugna, repentino veluti quùm turbine venti [lunt.
Commiscent pelagus, spumamque sub aethera tol-
Mox habilem bello sicam nudaverat Ogar,
Corpus in adversi noviès quam condidit hostis:
Nec jam pugna fuit; subsidere refluus aestus.
Irrueram ferro; Cormacis frangere durum
Tèr mihi contigerat clypeum; tèr fregerat hastam
Ille suam. Jacuit terrâ caput illius udâ,
Caede cruentatum: comites tum terga dederunt.
  Quod si, quùm telis adeò validâque juventâ
Praelia conserui quondam, vigil omnia vidi,
Hanc me ducturum vitam quis diceret heros,
Atrâ perpetuae mersam caligine noctis,
Aes foret huic triplex circa praecordia ductum,
Nìl solitum robur, vinci quìn nescia virtus.
  Per Lenae siluit* tumulos caecasque per umbras
Dulce melos: crebrescebant stridentia sylvis
Flamina. Me vigilem curis Evirallyn habebat,
Lucida cùm tandem, solvensque in flumina ocellos,

* Nota, C.

Nube sub extremâ visa est subsistere coràm,
Exilesque hiscens tales effundere voces.
Surge, age, tolle moras; dilectumque eripe natum,
Ossianes, gladiis; serva discrimine lethi
O nimiùm juvenem fretum furialibus armis.
Lochlinidis certat saevis ad Lubaris undam,
Valle sub angustâ per mollia prata fluentem.
Dixit; et extemplò nubi se immiscuit atrae.
Mox rapui clypeum; rapui thoraca rigentem,
Aptavique mihi; passus hastile regebat.
Utque ibam, strepui gravibus circumdatus armis.
Carmina, queis solitus proceres efferre vetustos,
Ore profundebam rauco. Vaga murmura sensit
Hostis, et effugit trepidans; tergumque secutus
Est Oscar. Veluti multarum flumen aquarum,
Insonui, monitumque dedi, dixique: retorque
Gressum, Oscar, quamvis te patris dextra sequatur.
Nìl secùs ac jussus retrò vestigia torquet:
Jamque propinquantis strepitum laetissimus hausi
Armisoni juvenis, coràm qui talia fatur:
Quò me, da, genitor, revocas, ferrumque coerces,
Dum non Lochlinidas penitùs discerpere detur?
Hos praeter rivum, sublimi rupe volutum,
In me Follanumque ingens tulit impetus actos,

Horrida cùm totus mirae spectacula noctis
Inspicerem: paucos absumpsit lethifer ensis.
At, velut, insano per noctem turbine jactus,
Fertur arenosae pontus sub littora Morae,
Concitus haud aliter denso ruit agmine Suaren,
Planitiemque secat latam: circùmque frequentes
Exululant Lemures, et coelum questibus implent;
Collucetque necis latè praenuncia flamma.
Ire subit, somnosque viri turbare potentis,
Qui mediis ridet plagis medioque tumultu,
Ceu qui Sol coeli summo sub vertice fulget,
Collectosque fugat nimbos, mundumque serenat.

Somnia discussit, surgensque recumbit aheno
Magnanimus Phingal clypeo, quem Trenmor, et
Pòst alii reges à Trenmore ferre solebant, [omnes
Praelia miscentes. Somno quum membra rigabat,
Substitit ante oculos notâ sub imagine coràm
Agandaeca. Maris liquidas trajecerat undas;
Segnior ac subiens à littore solaque, miris
Palluit ora modis, lacrymasque ciebat amaras.
Haud bene visa fuit; nebulisque adoperta recinctis
Extulit à pallâ dextram, charoque tetendit
Ductori; tacitosque oculos aversa tenebat.

Heu! quìd, Starnine, ploras pallesque silesque,

Phingal ait gemitu : quis te dolor angit iniquus,
Dulcis amor, levibus par tranans nubila ventis ?
Talia quaerentem extremâ sub nocte reliquit,
Flatibus exemplò sublata per aethera magnum :
Illa suam flebat gentem, mox aequore campi
Perdendam ferro. Curis aegerrimus heros
Emicuit, visumque imo sub corde premebat.

Affuit hîc pernix Oscar ; lucescere visum
Illius est scutum ; visus jam lumine pontus
Ullineus spargi tremulo, cùm talia Phingal.
Enitet orta dies, Oscar : quid territus hostis
Cogitat ? an petiit pelagus, Lenâve moratur
Innixus clypeo ? Verùm quìd demoror armis ?
Obstrepit, ecce ! venit. Rapido pede trajice campum,
Gnate mei gnati, bellatoresque cieto.

Lubaris ad lapidem, demissum vertice, substat
Rex Phingal; vocemque effert, quâ protinus omnes
Cromlani trepidant cervi, ripaeque lacusque
Praeruptumque jugum saxis hinc inde tremiscunt :
Confertoque ruunt uno velut agmine centum
Praecipites rivi, spumantque gemuntque sub auras;
Nec secùs ac, faciem variantes Aethere nubes
Actutùm coeunt atrae, glomerantque procellam ;
Convenêre, tulit scopulis quos ardua Morven,

Regis ad imperium, magnâ ter voce vocantis.
Quippe alacres unà senserunt pectore motus,
Cùm ducis excelsi telisque insignis acutis
Excepêre sonos. Illum nam in bella sequentes
Devenêre domum famâ spoliisque superbi.
  Phingalidae lecti, mediis quos Selma procellis
Edidit, ad pugnas et funera mille virorum
Ite, inquit; tumuloque sedens, ego praelia belli
Despiciam; telumque meum vos pone sequetur,
Si quid vestra salus poscat, vel casus iniquus.
At, prout ipse reor, nullum quaeretur in usum,
Dum stet Morniades, loricamque aptet ahenam
Forti bellator dextrâ, ductorque phalangum,
Omnia carminibus vatum per saecla canendus.
Vos, almi proceres, defuncti corpore dudum,
Quique inter nebulas liquidis equitatis in auris,
Examines quicunque ruent certamine, nostros
Excipite heroas, celsamque adducite Cromlam;
Inde per aequoreos patrio vos, flamina, fluctus
Convectate solo. Mentem per somnia visi,
Obsideant, oro, molli quùm pace quiescam.
I, Follane; puer fuscis i crinibus, Oscar;
Nobilis i juvenis, loricam indute rigentem,
Roena. Novum vobis gliscat sub pectore robur.

Pergite, magnanimum cursuque manuque sequentes
Morniaden Gollum, trepidantia terga prementem.
Nìl secus ac Gollus telis insurgite; Gollum
Vestigate oculis altum, Gollique labores;
Curaque sit vobis sociûm. Quos abstulit aetas,
Volvite mente viros. Si, fortia bella moventes
Erine, vulnificus letho demiserit ensis,
Vos, mea progenies, vos ipse repentè videbo.
Quot sumus, exangues erimus sine corpore formae
Continuò; patrias rupes et celsa jugorum
Culmina consortesque auras nubesque colemus.

Tendit iter Selmae dominus, quà semita monstrat,
Angustaeque ferunt fauces, ceu turbida nubes,
Obsita fulminibus, sub lumina Solis et ortûs
Cedit ad Occasum: liquidâque ut nocte cometes,
Bina manu lato fulgent hastilia ferro;
Flamina diffundunt canos. Quos liquit, amicos
Anxius obtutu conversus saepe legebat;
Tresque sequebantur vates, qui jussa referrent
Regia. Sublimi tandem sub rupe locatus*,
Fulgentemque regens gladium, nos inde regebat.

Fervidus ibat ovans Oscar: maduêre rubentes
Olli rore genae; dextrâ fulgebat, ut ignis,

* Nota, D.

Ferri acies, patri juvenis cum talia dixit.
Dux ô bellipotens, invictaque dextera plagis,
Da mihi te, genitor, facilem; cursu pete regem
Morvenium, famaeque tuae verique laboris
Fac mihi pars cedat. Quod si procumbere fors est
Me pugnâ, niveum pectus, Conâque relictam,
Respicias, quaeso, nympham, quam corde recepi,
Toscare progenitam magno ductore cohortum.
Nunc queruli roseas obvertit gurgitis undae
Maesta genas; ventis nigrum dat spargere crinem;
Oscara voce vocat. Defunctum corpore me dic
Ire levem clivis, superas pallere per auras:
Ast ego, nube citâ posthàc trans aequora vectus,
Obveniam decorique meo charaeque puellae.

Quò tua te rapuit pietas, quò gloria laudis,
Orsa, inquam, referens? Tu me, tu conde sepulchro
Gnate, patrem: mediis equidem rutilantibus armis
Agmen agens, Oscar, non unquam fortibus ausis
Absistam, cedamve loco. Te dextera patris
Virtutem doceat clarosque magistra triumphos.
Quà lapis assurgens longum mihi servet honorem,
Mox cervi cornu gladiumque arcumque repone,
Antiquum in morem, lethi penetralibus arctis.
Non mihi lux animae superat, non dulcis amica,

Quam tibi nunc mandem, quoniam mea candida
Occidit, egregiûm proles Evirallyn avorum, [conjux
Quam genuit Branno praestanti robore et armis.
  Talia per Lenam nos inter dicta dabamus,
Cùm vox increpuit Golli, velut omne remugit
Turbine ventorum pelagus. Jam sustulit ensem
Bellator ; plagisque necique accurrimus omnes,
Æstuat ut rabie spumatque tumetque sonorus
Oceani fluctus, reboatque elatus in altum ;
Atraque ceu rupes, cujus sub vertice aquae vis
Exultat, certus non cedere, restitit hostis ;
Virque viro, chalybique chalybs se miscuit ardens.
Ceu centum centumque unà se brachia tollunt,
Exercentque cavo ferrum fornace recoctum,
Arma insurrexêre armis, strepitumque dederunt.
  Ibat Morniades, qualis ruit Ardvene turbo ;
Spargebatque necem gladio : vastator ut ignis,
Gormalis in clivo summoque cacumine flagrans,
Æquora per campi saevus se Suaren agebat.
Quìd ferri memorem plagas ? quìd carmine dicam
Funera ? Sublatus tepuit mihi sanguine mucro
Fulmineus ; stragemque dabas, mea maxima proles ;
Gaudebamque equidem, cùm te tot dira videbam
Vulnera jactavisse manu. Se territus hostis

Corripit; instamus tergoque necique volantis.
Namque resultantes sicut de culmine collis
Praecipites resonant lapides, validaeve secures
Quercubus incumbunt gemitumque sub aethera jactant,
Terrificumque velut comitante fragore peragrat
Ardua terrarum tonitru, geminaverat ictus
Lethiferos Oscar, genitorque haud mollibus armis.
Ast alibi Gollum, clypeo telisque nitentem,
Circuitu Suaren rapido dextrâque premebat,
Pontus ut Orcadicus, totis ubi refluit actus
Viribus oceani, sese sub littora fundit.
Vix se continuit, vix non et sustulit hastam
Arboream surgens Phingal; vocesque profundens,
Ocyùs, Ullin, ait, monitum trans aequora campi
Fer nostrum; Gollo, telis quae fortia gessit,
Bellantesque patres, lapsum quos abstulit aevum,
Fac memores; cantuque viros pugnasque cieto.
Haud mora, grandaevus figit vestigia vates,
Magnanimique ducis sic est affatus ad aurem:
Maxime Morniade, spumantum ductor equorum,
Turbine qui torques hastam, gladiumque coruscas
Horribilem visu, fatis agitatus iniquis
Altior assurgis victor, majorque videris,

Bellipotens misces lethalia vulnera, jamjam
Scinde hostem, penitùsque feras absume catervas;
Nec ratis Orcadici findat maris aequora ad Arcton.
Sicut porta tonat coeli, tua dextra fragores
Ingeminans fundat vastos; stent lumina flammis;
Cor praestet rupem; gladius, ceu fulguris ignes,
Eniteat; qualis magnum per inane vagatur
Stella viam sulcans longam praenuncia lethi,
Emineat clypeus, spumantum ductor equorum.
  Excitus his dictis, animos erexerat heros;
At ferus immiscens ingentia praelia Suaren
Illius infregit clypeum, gentemque fugavit.
Prorumpit Phingal; magnâque ter aethera complet
Voce. Repercussis fremuit sub cotibus altis
Cromla suis: geniti deserta per avia gressum
Compressêre viri, vultumque pudore rubentem
Demisêre. Premebat enim praesentia regis *,
Qui venit, sicut coelestibus humida nimbis
Monte ruit nubes, ubi Sol violentior ardet,
Expectantque imbrem sitientia prata rigantem:
Per vallem, primùm montano tramite lapsus,
Quaerit iter tacitus modicarum rivus aquarum,
Continuòque gemit pluviâ subeunte procellâ.

* Nota, F.

Fervidus adversum prospexit Phingala Suaren,
Continuitque gradum ; torvusque innisus in hastam
Lumina per latum torsit flagrantia campum ;
Utque haeret tacitus nisuque infixus eodem,
Immanem assimulat quercum, quae saecula vicit
Lubaris ad ripam, nudataque fulmine ramos
Incumbit lymphis. Canus dat sibila muscus,
Nil secùs ac ventis passi per tempora crines.
Substitit haud aliter, fuscas in fortia parmas
Praelia rex cogens, Suaren ; paulùmque moratus,
Sanguineum scandit clivum. Stant millia circum
Multa ducem, campumque umbris ingentibus implent.

Ipse suos inter, coeli ceu purior ignis,
Fulgebat proceres Phingal: post terga premebat
Laeta manus juvenum bello ; mandataqae fundens
Regia, rex inquit, mea signa attollite in altum.
Per Lenam rutilent, veluti super aequora ponti
Vis flammae ; crepitentque auris, pugnamque lacessant.
Quos hùc miserunt, fremebundis concita lymphis,
Flumina, perque cavas centum labentia valles,
Ore favete, omnes ; gladium qui tollis acutum,
Golle, manu ; bellis Oscar celebrande ; decorum

Cingis qui clypeum, Connal; fuscisque capillis
Vir, Dermid. Laeti vestras expromite vires
Morvenidae: praesto, spiras qui pectore versus,
Sis mihi, Phingalide; ferroque abscinde catervas.
  Protinùs hastili sublatum pandimus ingens
Vexillum regis. Nova gaudia sensimus omnes,
Ut fuit explicitum mediisque pependit in auris
Hoc jubar, hoc bullis auroque insigne coruscum,
Qualis vel coeli facies fulgentibus astris
Noctem sub placidam. Vexillum ductor habebat
Quisque suum; chalybemque ducis delecta virorum
Turba sequebatur, pulchrisque nitebat in armis.
  Tum sic rex Phingal, cyathi rex munere felix.
En modo Lochlineae spatia in contraria gentes
Agmine partito cedunt, ceu nubila, postquàm
Turbidus imber aquâ coelo descendit ab alto;
Semustumque nemus referunt, cui fulminis aestus
Nudavit densos frondenti vertice ramos,
Immisitque diem, penetralia caeca recludens.
Vos ergo, rerum fiducia magna mearum,
Dicite, ductores primi, cui quisque maniplo
Hostibus è nostris optet certare paratus:
Audendumque, viri, ne quis per caerula ponti

Lochlineus, clivis medius mediusque severis
Natus apris, patrias valeat remeare sub oras.
Suscepit Gollus : praestanti corpore septem
Cominùs aggrediar * proceres, Lanone profectos;
Meque utinam subeat fuscis dux crinibus, Eric,
Fervidus Oscar ait, genuit quem carminis auctor;
Nìl ego, tum Connal, tecum contendere telo,
Rex Innisconae, renuo, saevissime ductor;
Aut ego transfossus, Mudanve jacebit arenâ,
Velox subjecit Dermid. Nunc corpore lassus,
Thormineum legi miscentem bella tyrannum,
Cui me dempturum confidentissimus ensem
Caeruleum cecini clypeique insigne decorum.
Vivite, felices animae, decoretque triumphus
Quemque ducem, placidâ dixit rex indole, Phingal.
Ipse ego te, Suaren, valida in certamina posco.
Ut centum strident venti sub montibus, utque
Per centum volitant valles, glomerantque procellam,
Irrupêre viri, genuit quos ardua Morven;
Umbrarumque locus, fremit horrida Cromla tumultu.
Quis tantae cladem pugnae, quis funera dicat,
Quae nos edidimus saltu sub littore ponti?

* Nota, F.

O, quam progenuit Toscar, lectissima rerum,
Conserimus dextras ; dextraeque cruore madescunt.
Fractae procubuêre acies, velut agmine aquarum
Ripa ruit Conae; promissis mansit et heros
Quisque suis; felix nobis victoria cessit *.
  Saepius ad Brannam trepidum fugientibus undis
Ipsa resedisti, venatûs fessa labore,
Cùm molles quateret tibi creber anhelitus artus,
Exsereresque sinum, qualem sub gurgite nudat
Albus olor, ventis tendens crepitantibus alam:
Montis et aërii se condere culmine solem
Vidisti roseum, circùmque nigrescere nubes;
Nec mora, se venti rupêre cubilibus atris,
Turbine verrentes terram; ruit aethere nimbus;
Increpuit longè tonitru latèque remugit;
Terribiles ibant formae trans aequora mistis
Fulminibus ; cecidit fera visque, ruinaque saxi;
Fluctibus indignans gemuit sub littore torrens †.
Talis erat pugnae facies, horrorque, fragorque,
Ore decens virgo, virgo candore nivali.
  Quìd fles, Toscrine? quìd rumpis pectore questum?
Illacryment potius, gremio suspiria fundant
Lochlinides. Nimio tepuit nam sanguine ferrum,

* Nota, G. † H.

Quod nostris micuit manibus, quod perdidit hostem
Planitie magnâ Lenae sub littore ponti.
Ille ego, qui tantis olìm comes additus ibam
Principibus, caecâ duco caligine vitam,
Fletibus ora rigans. Mecum sortire dolores,
Funera qui moestus duxi tàm multa meorum.

Inter pugnandum praeclari nominis heros
Inciderat dextrâ regis, regique dolendus;
Versabatque senex* immundo pulvere canos.
Illum Comalides torquentem lumina Phingal
Vidit; et agnocens dictis affatur amicis:

Tune jaces, Agandaecae fidissime Matho?
Lochline te vidi largos effundere fletus,
Occidit ut malas virgo formosa rubentes.
Tene meum petiit telum, te vulnere vicit,
Qui mihi dilectam defendere nisus ab irâ
Patris erat nympham, casu concussus iniquo?
Huic, Ullin, cantu da splendida munera laudum;
Mathonem manda terrae, decoraque sepulchro.
Ductoris nomen saeclis demitte futuris,
Qui procerum decori generosus faverat almo:
Imis namque mihi sub sensibus haeret imago
Virginis eximiae, gremio quam detinet Ardven.

* Nota I.

Sub Cromlâ, misero turbatus pectora bello,
Audiit armorum crepitum pugnamque severam
Cuchullin; notumque vocat sublimibus armis
Connala, Phoeniadenque senem. Jamque ocyûs adsunt,
Qui densis medii clypeis mediique periclo
Canuerant; acremque vident effervere pugnam,
Non secùs ac subeunt fluctus bacchantibus Euris
Littus arenosum, totumque exaestuat aequor.
Ardet bellator, frontemque in nubila cogens,
Corripit, à multis gestatum patribus, ensem;
Flagrantesque oculos conversus figit in hoste.
Tèr molitur iter, tèr contra continet illum*
Obnixum Connal; facilique haec ore profatur:
Optime, siste gradum, ductor, cui roscida servit
Insula: rex gladio Phingal jam demetit hostes;
Illius è meritis noli decerpere quidquam
Laudibus; ipse atri grassatur turbinis instar.
Nuncius ito igitur, Carril, dux Erinis inquit,
Morvenis ad regem; dominantem vallibus altis,
Ductorem salvere jube, pia gaudia miscens
Vocibus; utque acie, fractis jam viribus, ibit
Pulsa semel Lochlin, qualis, qui proluit agros,
Turbidus amnis aquâ cedit; cum praelia ponent,

* Nota, K.

Phingala sub coelum victorem laudibus effer.
Huic da Cabadis gladium, spoliare vetustos
Assuetum proceres. Quoniam victoria fugit,
Haud gestare decet Cuchullina tela parentum.

Vos, vitae tenues, colitis quae devia Cromlae,
Magnanimûm heroum Manes, jam luce carentum,
Este mihi comites curis ingentibus aegro:
Vos, oro, vestris me compellate susurris
Saxa per aërii montis caecasque cavernas.
Ceu sidus, micui; sicut, quas flamina pulsant
Mane, jugis abeunt nebulae, mea cessit in auras
Inclyta fama loco. Mecum de fortibus armis
Mitte loqui, Connal: non me vaga carmina dicent.
Hinc per turbineam solus suspiria Cromlam
Nocte dieque traham luctu, dum vita manebit.
Ne, Bragella, meum cessa deflere profundis
Demersum tenebris nomen: certamine victus
Non patrios fines, non te, lux alma, revisam.

PHINGALEIS,

SIVE

HIBERNIA LIBERATA.

IN SEX DIVISA LIBROS.

LIBRI QUINTI ARGUMENTUM.

Tumulum è Cromlae assurgentem clivo occupant adhuc Cuchullin Connalque; ibique moerentem illum hic solari tentat. Phingalis et Suarenis describitur certamen; Suarenque tandem superatur, atque Ossiani Golloque traditur custodiendus. Inde Phingal caeterique filii fugientibus instant hostibus. De Orlâ, inter pugnandum graviter vulnerato, pauca dicuntur: illiusque commotus obitu, parcendum ferro monet Phingal; et revocatis filiis, Roenam natu minimum interfectum fuisse intelligit; ipsumque plorat. Jamque, audito carmine, quo Lamdargi et Calchossae lethum antiquitùs celebrabatur, sepultoque Roenâ, repetit Suarena. Venit intereà ad Ossianem Carril, qui inter se colloquuntur.

PHINGALEIS.

LIBER QUINTUS.

Tunc ita solari Cromlae super ardua Connal
Gemmiferi currûs dominum, Cuchullina, tentat.
Quìd te squalor habet? quìd tristia corde volutas,
Cuchullin? Fugiunt hostes; nostrique per agros
Viribus invicti palantia terga sequuntur.
Quìn tua te, ductor, sublimem gloria tollit:
Plurima miscueras belli certamina; plures
Iste tuus proceres acie compescuit ensis;
Caeruleisque oculis uxor flavisque capillis
Obvia saepe tibi vultu subrisit honesto,
Cùm fractus demùm tumulo requieverat hostis,
Tuque domum victor, turbâ comitante, redibas,

Fulgebantque viae spoliis, plausuque sonabant.
Illam dulce melos, vatum vox aurea centum
Mulcebat, sensusque alacres sub pectore movit.
  Phingala* tu contemplator; micat aequore campi
Loricam indutus rutilam, velut Æthere fulmen;
Vique viget, sicut nimbis torrentibus auctus
Lubar in immensum, turbove per avia Cromlae,
Annosas sternens quercus sub frigora noctis.
Quàm tuus† est felix populus, dux maxime, Phingal!
Omnia, cùm bellas, miscet tua dextera victrix
Praelia; consilio praestas, ubi pace quiescis.
Mille regis dicto gentes; quatis agmina ferro.
Quàm tuus est felix populus, dux maxime, Phingal,
Qui Selmâ prodis, latè qui Morvene regnas!
Quis rapit ille autem sese, tonitruque sequaci
Nigrescit gradiens? an non Starnonia proles,
Morvenium quaerens regem, virtutibus actum?
Huc geminas huc flecte acies; hos aspice reges
Congressos. Crepuêre armis; pugna aspera surgit,
Qualis, cum gemini, diversis partibus orbis
Turbine ventorum delati, fluctibus alti
Incumbunt Lemures, legesque indicere certant:
Auribus arrectis venator murmura captat,

* Nota, A. † B.

Oceanumque videt, convulsum sedibus imis,
Exsultare procul, lustrisque subire ferarum.
  Talia fundebas, Connal, cùm praelia reges
Consererent, populusque hinc inde occumberet armis.
Ferreus it stridor; crebris sonat ictibus Æther.
Haud aliter quàm si centum centumque recoctum
Brachia procudant ferrum. Mox unus, et alter
Totus inhorruerat saevo certamine ductor.
Defecêre orbes clypeûm; galeisque minaces
Dissiluêre enses. Jactis per gramina telis,
Captavêre viri sese; validusque lacertus
Hinc atque hinc vastum vasto luctamine dorsum
Astringit, versatque tenax, per aperta locorum
Abductis retrò pedibus. Furor aestuat ingens;
Jamque locus* tremuit pulsu, nemus undique circùm
Frondosum tremuit, tremuerunt saxa jugorum;
Oceanique cadit dominus; jacet ipse subactus
Suaren humi. Geminos Conae sub finibus olìm
Sic equidem vidi, Conam non inde videbo,
Praecipites labi tumulos, quos sedibus egit
Turbidus indignans montano flumine torrens;
Cùmque ipsi ruerent, ingenti robore quercus

* Nota, C.

Miscebant patulos nexae per mutua ramos.
Omnigenae tandem moles convalle quiêrunt,
Divisisque ibat torrens jàm mollior undis:
Ripa diu rubuit pòst è regione viarum.
  Nunc ô Morvenidae, tantum custodia servet,
Phingal ait, regem, cujus stant pectore vires,
Quales exagitant pontum fluctusque volutant.
Maximus est armis; revocatque ab origine gentem
Antiquâ. Faciles dux optime, Golle, cohortum,
Ossianesque, gravi numero suavissime vates,
Huic date vos socios: depellite pectore curas:
Est Agandaecae germanus, virginis almae,
Quam colui primam juvenis, semperque verebor.
Verùm, Oscar, Follane, ac rufis Roena capillis,
Vos instate* hosti. Juvenes, pede carpite Lenam,
Qui rapidos acri cursu praevertitis Euros.
Quotquot Lochlinidae superant compescite ferro,
Ne quas hùc mittat longas exinde carinas
Insula, tot ratibus totque apris obsita magnis.
  Corripuêre viam, perflant ceu flamina clivum:
Tardaque ceu nubes, sese rex Phingal agebat;
Insonuitque instar tonitru, cùm manat in agros
Caerulus Æstivos imber; fervensque refulsit

* Nota D.

Illius telum, rutili ceu spicula Solis;
Utve sub obscurum noctis trans Æthera longam
Stella viam signans, facies currusque citatus
Horribilis Larvae luctumque necemque minantis.
Ibat, et adversum missumque à Lochline vidit
Ductorem; subiensque haec imo corde profudit;
Quis juxta scopulum rivique frementis ad oram
Tristis inhorrescit vultu, curisque gravatur,
Obnixusque nequit sese transmittere saltu?
Ille quidem praestat formâ, scutumque sinistrâ
Attollit, dextrâque hastam fert arboris instar.
Qui vultum condis luctu, da, nobilis heros,
Oderis an memet, velut implacabilis hostis?
Lochline, respondit, veni; certamine parmam
Objicio validam. Mea flet lectissima conjux,
Ah! tanti praesaga mali; nunquamque videbo
Auricomam toto nympham mihi corde receptam.
An mihi te dedis, mavisve lacessere bellum?
Acer ait Phingal: non me quis vicerat unquam:
Exsuperantque mei virtute ac fortibus armis.
Temet da comitem, celebra convivia mecum,
Alipedesque feras agita per Morvenis oras.
Non ita, Lochlineus: fractis mea dextera rebus
Affuerat semper, durumque rotaverat ensem,

Invictumque acie, qualem nec sustulit alter.
Morvenis haud renuat rex se mihi dedere victum.
Non me dedideram cuivis, non dedere fas est,
Phingal ait, victum. Si quam spem ponis in armis,
Delige, cui certes, quemvis tu cùnque meorum:
Circumstant plures: hos excitat ardua virtus.
Mene igitur spernis? mecum pugnare recusas,
Orla refert, Phingal? Dignus concurrere mecum
Es, Phingal, dignusque tuis è millibus unus.
Si me fors pugnâ procumbere, Morvenis ô rex,
Quippe dies bellatorem manet ultima fortem,
Fac mihi constituas immani mole sepulchrum,
Caeruleumque ensem, missum trans aequora, conjux
Excipiat dilecta mihi, quae lumina flectit
Mollia. Delatum, lacrymis suffusa decoris,
Ostendet gnato chalybemque, decusque parentis
Eximium; puerumque dolens ad bella ciebit.
Talia quò memoras? quìd me vulgare dolorem *,
Phingal ait, cogis fletu? quò tristia versas?
Stat sua cuique dies; nati serique nepotes
Exesa inspicient rubigine tela parentum.
Orla, tibi surget tumulus; tua candida conjux
Imbuet effusis allatum fletibus ensem.

* Nota E.

Jàm pugnas ineunt ; Orlae sed dextra recusat *
Praelia : decisis vinclis, cadit illius umbo,
Commotum veluti subitò se condit in aequor
Luna sub Occasu. Gladium, rex Morvenis alte,
Tolle, ait Orla ; feri ; lacerum mihi transige pectus.
Hîc fessum plagis liquit me turba meorum ;
Hauriet ac conjux Lothae fugientis ad undas
Quem timuit casum, luco cùm sola vagetur,
Et molles tepeant zephyri tractimque susurrent.
  Non ego, tum Phingal, feriam te, nobilis ô dux ;
Nec sedet hoc animo. Lothae fugientis ad undas
Optima quìn videat virgo quem diligit Orlam,
Erineâ reducem terrâ saevoque tumultu ;
Te canus videat genitor, nisi maximus aevo
Lumine sit captus ; gressum vocesque per aedes
Audiat ; ad tactum tractans te, gaudia captet.
  Optime rex Phingal, nullo me tempore tanget,
Dux inquit fortis, Lothâ qui flumine venit :
Lenae procumbam campo. Certamine qualis
Ferbuerim duro dicent per saecula vates.
Balteus hic latus lethalia vulnera condit,
Quae nunc diripio tradoque hostilibus auris.
  Dixit, et extemplò fudit de pectore rivos

* Nota, F.

Purpureos; fulvâque cadit jam pronus arenâ.
Rex superincumbit singultibus ilia longis
Pulsantem miserans; juvenesque ex agmine lectos
Compellans, inquit, sublimem laudibus Orlam
Tollite; humo mandate ducem; superaddite saxum.
Squalidus in tumuli jaceat nigrantibus umbris
Per Lenam, charâ diversus conjuge, rauco
Diversus Lothâ, trepidante fugacibus undis,
Limine diversus proprio turbâque faventum.
Arboreum posthàc Orlae mirabitur arcum
Surrectura aetas, summâ nec tendet opum vi.
Illius exululant catuli, gaudentibus apris,
Quos pressit studio fervens. Crudelibus armis
Concidit heu! belli fulmen, vir maximus, Orla.
Cornua Morvenidae, rebus spectata juventus,
Undique dent sonitum: cantu citharisque levemus
Suarena, solicitum curis. Percurrite campum
Mox, Oscar, Follane, ac rufis Roena capillis:
Parcite Lochlinidis, oculosque advertite blandos.
Heus! ubi Roena? gradus haud segnis ferre solebas,
Cùm te rex Phingal, cùm te pater ante vocâsset.
Roena tuus, Phingal, vates tum reddidit Ullin,
Aethera per magnum formis victricibus adstat;
Scutorum dominum comitatur, Trathala; fortem

Trenmora pone subit. Convexi tramite collis
Corpus inane jacet: jamjam color ora reliquit
Purpureus. Ceciditne, inquit rex Morvenis altus,
Assuetus cursu juvenis praevertere cervos,
Quique habilem validis curvabat viribus arcum?
Vix miscere manu vidi te fortia belli
Praelia: quìd primo cecidit certamine Roena?
Da precor, ô juvenis, placidam per membra quietem:
Te mox aspiciam; mox obrutus ipse silebo;
Mox iter omne meum vanescet ubique locorum.
Soli me vates, saltus, lapidesque loquentur.
Roena jacet; Roenae sonuit nec fama sub auras:
Plecte fides, Ullin; fidibusque adjunge sonoris
Carmina; nunc Roenae laudes dic funere mersi;
Æternumque vale, quo non fuit acrior ullus.
Inde magistra tuam non jàm mea dextra sagittam
Diriget: O formose puer, mi gnate, valeto.

Jàm lacrymis Phingal malas humectat amaris,
Ut repetit, qualis fuerit certamine Roena.
Namque ferox juvenis referebat fulminis ignem,
Ardvene sub noctem visum, cursuque virentes
Vastantem sylvas: latè lucere viator
Laetatur secum flammas; sed splendidus ignis

Eripitur subitò, ventis post saxa jugorum
Extinctus; mundusque latet nigrantibus umbris.
Cùm semel emotae curae, pulsusque parumper
Corde dolor tristi est, voces has ore profudit
Rex felix Phingal felicis munere conchae:
Quos viridans memorat tumulus, quos quatuor isti
Muscosi lapides, exilia luce carentum
Limina servantes ductorum, dicite, vates;
Adjunctusque viro, bellis qui ferbuit olìm,
Filius hoc ipso tumulo meus usque quiescat.
Conscia nam virtus, laudumque immensa cupido
Sors tua, Roena, fuit. Non hinc per nubila solus
Caeruleasque plagas nimbosque vagabere coeli.
Ullin, ab antiquo missum dic tempore carmen,
Quodque refert quales terreno ex aggere bustum
Hoc premat heroas. Si nunquam terga dederunt
Hostibus, his positi, consors sit Roena sepulchri;
Hos habeat socios. Diversum Morvene, charum
Oris, Lena, tuis gnatum sopor altus habebit.
Talia tum vates; nec abest facundia dictis:
Hoc tacito premitur tumulo Lamdargus, et asper
Rex armis, Ullin. Sed quaenam margine nubis
Despiciens vultum virgo protendit honestum?
Quìd te, prae cunctis Cromlae formosa puellis,

Pallor habet? Proceres inter, per mutua laesos
Vulnera, tune jaces? O Tutalis alma propago,
Mille quidem fueras spes invidiosa procorum;
Unus at usque tuos habuit Lamdargus amores.
Is venit Turam, clypeique insigne decorum
Percussit; secumque has fudit pectore voces.
Quò sese Galchossa tulit lectissima rerum,
Quam genuit Tutal, magnis virtutibus actus,
Quamque meis liqui moerentem turribus altis,
Nobilis Ulfaddae telis occurrere certus?
Dicebat: Lamdarge, redi; dolor ossibus ingens,
Dum venias, haeret; suspiria pectore rupit
Tristia candenti, roseas et sparsit oborto
Rore genas; reducique mihi non obvia se fert,
Mollibus alloquiis animum post praelia mulcens.
Non resonant citharis aedes; non carmina vates
Ulla mei fundunt; alacer non ipse catenam
Concutit ante fores Brannus, prout ante solebat.
Quò sese Galchossa tulit lectissima rerum,
Quam genuit Tutal, magnis virtutibus actus?
Fòrs, Lamdarge, inquit generatus Aödane Feras,
Aërios Cromlae clivos Galchossa pererrat,
Virginibus comitata suis cervosque fatigans.
Haud, Lamdargus ait, strepitus mihi redditur ullus

Venantum; tumulis latè campisque siletur;
Non ego prospicio cervum rapidosve catellos;
Non video nympham, toto mihi corde receptam,
Quaeque decore refert Lunam, post saxa cadentem.
Alladen subeas, canis cui spargitur aetas
Frigida, cui Lapidum circus gratissima sedes:
Expediatque utinam quà nunc Galchossa vagetur.

Paruit actutùm generatus Aödane Feras,
Secretumque senem verbis scitatur amicis:
Accola dic clivi, placidis dic moribus Allad,
Quid tibi prospectum est, vir longis obsite saeclis?

Inde senex facilis: prospexi Carbere cretum
Ullina; descendit Cromlâ; cantumque ciebat
Gutture sub rauco, veluti si murmuret Auster
Per lucum foliis nudum. Sub limina Turae
Se tulit; et, mecum, clamat, certamina tenta,
Dux, Lamdarge, ferox; armisve inglorius esto.
Tolle moras omnes, bellator; consere dextram.

Respondit Galchossa, domo se detulit heros
Optimus; aggressusque Ulfaddam, praelia miscet,
Maxime rex, Ullin. Non ulli cesserat unquam
Lamdargus; renuet nec vel contendere tecum.

O qualis tibi frontis honos, quàm mira venustas,
Ullin ait, fidens animis! Lectissima proles

Tutalis, aërias invises Carberis aedes,
Hospitio notas. Temet fortissimus armis
Dux habeat; Solesque ego ternos monte morabor
Cromlano, poscamque lubens in praelia fortem
Lamdargum telis. Quod si contendere nolit,
Te lux quarta mihi propriam, Galchossa, dicabit.
Retulit ut gressum Feras, remque ordine pandit,
Te, Cromlae dixit dominus, te suaviter, Allad,
Somnia sub noctem circumstent rupis in antro:
Classica jamque sonent, Fera; procul audiat Ullin,
Ingentem veluti resonantem valle procellam.
  Continuò scandit Cromlam, se carmine solans.
Summa tenens, partes sese versabat in omnes,
Turbida seu nubes, ventis discordibus acta:
Utque erat impatiens, clivo resonabile saxum
Devolvit belli signum. Ferus audiit Ullin
Carberides, sensitque alacres sub pectore motus,
Vulnificamque ardens genitoris sustulit hastam;
Armaque dum caperet bello contendere certus,
Ora serenabat risu. Sub culmina Cromlae
Tendit ovans, cantumque ciet, gladiumque coruscat.
  Carberiden Galchossa videt nebulae instar euntem;
Lamdargoque timens, pectus candore nivali

Terque quaterque manu tundit. Mox Carbera dictis
Accedit, simulatque animum, veniamque precatur:
Maxime dux aevo, felixque per omnia Carber
Hospitibus, subit ire jugo, celeresque sagittas
Spargere, quà furvos video consistere cervos.
  Carpit iter praeceps virgo; sed tarda subivit.
Concurrêre viri; pugnatum est cominùs armis.
Quìd Selmae domino referant mea carmina qualis
Pugna foret, centum qui certavisse phalangas
Viderat? Extinctus gladio ferus occidit Ullin.
Pallidus advenit nympham Lamdargus amatam,
Quam genuit Tutal, notus victricibus armis.
  Illa ubi torpentem medio discrimine lethi
Senserat, heu! quinam, dixit, charissime, sanguis
Iste ruit? sanguis, respondit maximus heros,
Ullinis est, jactis nivibus per culmina Cromlae
Candidior virgo gelidis: me me sine dorsum
Sternere humi; morior; durat per saecula nomen.
  Vix ea fatus erat, cùm jam se corpore solvit
Turriti dominus tecti; Galchossaque clamat,
Nunquìd in aeternum clausisti lumina somnum,
Rex Cromlae? Tres illa dies exinde resedit
Corpus ad exanimum. Cùm quarta refulserat Eos,
Flebilis invenit venator lumine cassam.

His tribus extructus fuit hic, rex Morvenis, agger:
Hos inter positum Roenam non parva sequetur
Gloria, per summosque ferent nova gaudia montes.
Hoc igitur tumulo compostus Roena quiescat,
Rex inquit Phingal, placidâ tum voce locutus:
Namque meas horum crebrò laus impulit aures.
Huc Orlam, juvenes, pallenti funere mersum,
Ducite. Non tumulo sine compare, Roena, jacebis;
En subit Orla tibi. Lacrymarum flumina fundant
Morvenides moestae; squalore recondite vultum
Lothaides. Sicut convexi tramite collis
Vimina pubescunt, heroes corpora firmant;
Absumuntur, uti, stratae sub vallibus imis,
Ingentes quercus, pleno quas proluit amnis
Flumine transversas, aestusque ac flamina siccant.
Quales hi fuerint acie satis aspicis, Oscar;
Bellaque si moveas, horum te fama perennis
Excitet; haud secus ac Roenam te carmina dicant.
Totus inhorrueras bello, mi Roena; domoque*
Blandus eras visu, qualis vel roscidus arcus,
Qui procul adversâ saltûs regione renidet,
Cum prope culminibus Morae Sol conditur altis,
Lustraque cervorum longè latèque silescunt.

* Nota, G.

Quem natu genui minimum, te, Roena, sepultum
Lena sub hoc saxo foveat; rursusque valeto.
Nos quoque decidimus: quantùmvis maxima, virtus
Nostra ruet, solersque omnis prudentia rerum.
Talia fundebas lacrymans, rex maxime telis,
Creditus aeternùm tumulo quùm Roena sileret:
Ossianem quantus miserum nunc luctus adumbrat,
Cùm tu sis vitâ cassus, rex optime regum!
Aure tuas nequeo dulces haurire loquelas,
Cernere non oculis captus sine corpore formam.
Assideo multosque dies noctesque profundas
Frigidus ante tuum positum sub colle sepulchrum;
Admoveoque manum, coelo te laudibus aequans
Carminibusque, pater. Si te dispergere voces
Fortè rear circùm, Zephyri me flamina fallunt.
Te sopor altus habet longo pòst tempore lapso.
Lubaris ad ripam victo cum Suarene Gollus
Ossianesque aliâ custodes parte sedebant;
Argutoque fides plectebam pollice, si quà
Fas foret illius duros lenire dolores.
Lumina defigebat humo; sub corde premebat
Infaustum tacitus bellum clademque suorum.
Suspiciens autem, magnum Cuchullina vidi *

* Nota, H.

Ire supercilio Cromlae. Quùm, gaudia curis
Admiscens, Lenâ devincere Phingala sensit,
Segniùs ille gradum Turae referebat ad antrum,
Queis ibat telis et luce coruscus ahenâ
Sole sub adverso ; paribusque nitebat in armis,
Pone sequens, Connal. Jàm culmina summa ju-
Exuperant, sicut de nocte per ardua collis [gorum
Ignis edax nemorum fertur, datque undique lucem,
Cùm sequitur Boreas, crepitatque incendia miscens.
  Rupe sub ingenti Turae spelunca cavatur :
Spumeus it praeter rivus ; stat desuper arbor,
Annosos tendens ramos, tractimque susurrans ;
Ante fores ventus scopulos hinc inde fatigat.
Hîc moestam posuit sedem Semonia proles,
Infelix volvens turbato pectore bellum,
Irroransque genas lacrymis. Desiderat altum
Nomen enim ductor, debellatorque phalangum :
Tu, Bragella, procul vitam Dunscaside degis ;
Conjugis et coràm non fas compescere luctum.
Illius ast oculis tua sese sistat imago,
Ore notata pio, purâque in luce refulgens,
Attolletque animos ; renovari pectore vires
Sentiet, ac magnum nomen primamque locari
In solido rursus famam ; quamque arserat unam,

Temet, dulce decus, placatâ mente fovebit.
Quis venit ille autem, senio cui tempora canent?
Ipse quidem Carril, qui condit amabile carmen *.
Salveto! vates, vir longis obsite lustris,
Felix qui cantu centum discrimina vocum
Obloqueris, veluti Turanae barbitos aulae;
Cujus et eloquium mentem dulcedine mulcet,
Sicut mane novo sub lumina Solis et ortûs
Ros liquidus, passim per amoena vireta nitescens.
Da quò liquisti, Carril, Cuchullinis arcem?
 Salve! respondit vates, dux maxime telis,
Ossianes, omnesque potis superare canendo.
Tu mihi jamdudum fueras perque omnia notus,
Bellator: citharam tetigi nervosque canoros,
Pertentare volens sensus Evirallynis almae;
Insonuitque tibi sublatus ad aethera cantus,
Praelia cum caneres, turbâ plaudente virorum,
Hospitis excelsi, magnâ Brannonis in aulâ;
Miscebatque sonos Evirallyn; solaque quâdam
Illa die, lethum Cormacis carmine dicens,
Laudibus eximiis, periit qui captus amore
Ipsius, evexit juvenem, virtutibus actum.
Intereà lacrymis malas decorabat obortis,

* Nota, I.

Tuque tuas, memini, procerum vel maxime princeps.
Nam quàmvis istum nil corde recepit amantem,
Ingenuâ doluit praestans haec indole virgo,
Quam genuit mensis Branno paterisque superbus.
Has mihi delicias, dixi, nomenque decusque
Ne memora: quoties repeto, calor ossa relinquit,
Udaque turgentes effundunt lumina guttas.
Pallida procubuit dudum tumuloque silescit
Nympha decore novo fulgens, meus optimus ignis.
Jamque sede mecum, spira tua carmina, vates,
Nil jucunda minùs, tepidi quàm flamina veris,
Quae captat venator hians, ubi somnia rumpit
Faucibus in montis, laetarique auribus haurit
Arrectis Genios, dulcemque profundere cantum,
Quo valles montesque sonant, sonat arduus Æther.

PHINGALEIS,

SIVE

HIBERNIA LIBERATA.

IN SEX DIVISA LIBROS.

LIBRI SEXTI ARGUMENTUM.

Superveniens describitur nox; jamque canit Carril. Inde Rex epulis vacat cum Suarene aliisque. Compositae carmen pacis recinit Ullin, Trenmoris et Innibaccae nuptias in medium proferens. Colloquuntur inter se Phingal et Suaren. Fabulam Grumalis narrat Phingal. Ferociam tandem luctumque ponens, aeternam Phingali Suaren amicitiam pollicetur. Decantant vates, citharasque plectunt. Cubitum itur. Multo mane proficiscitur Suaren cum fractis copiis in Lochlina. Venatum indicit Phingal; Cuchullina invisit, recreatque; posterâ die in Morvena, Caledoniamve, revertitur.

PHINGALEIS.

LIBER SEXTUS.

ÆTHERE praecipitant nubes ; nox * humida Cromlam
Circumfusa premit ; Boreae sub finibus ardent
Sidera, caeruleos jactis lustrantia fluctus
Ignibus Ullineos ; nebulae per inane vagantur
Parte aliâ ; longè sylvis immurmurat Auster ;
Caede madens ater silet undique et undique campus ;
Jamque infit blandi cantûs dulcedine mentem
Demulcere mihi Carril. Quos flore juventae
Novimus, ac laeto devinxit foedere longus
Usus amicitiae, moresque habitusque benigni,
Ipse canit, festosque dies, quos egimus unà,
Nos ubi suscepit Lego, tot magna virorum
Illa parens, plenaeque indixit pocula mensae.

* Nota, A.

Excita Cromla modos reddit; multaeque per auras
Circumstant animae, pronaeque in carmina pendent,
Laudibus intentae propriis famaeque perenni.
  Pertentent, oro, sensus tibi gaudia, Carril,
Qui nunc turbinibus veheris, clivosque frequentas.
Cur, dilecte, meam nil jam succedis ad aulam,
Solus cùm duco noctem? Succedis, amice;
Quamque tenet paries appensam, tangere lenem
Te nosco citharam, numerumque ciere remissum:
Serus et iste meas utinam sonus occupet aures!
Quìd non alloquiis relevas me, mente jacentem?
Dic quando veteres liceat spectare sodales?
Par fugis, heu! levibus ventis somnoque volucri;
Et mihi, te raptans, mediis fremit aura capillis
Intempesta! vale, proceres qui laude ferebas.
  Ad Moram, centum sese quae subjicit altis
Verticibus, coière duces, epulisque vacârunt.
Mille ardescebant quercus; totusque reluxit
Mons circùm, lectosque hilaravit vivida pleni
Vis cyathi * proceres. Unus sub corde premebat
Saevum rex luctum Suaren: fera lumina torvus
Defigebat adhuc Lenâ, bellumque sinistrum
Pectore versabat, stimulis agitatus amaris.

† Nota, B.

Hîc meus in clypeum pater incumbebat avitum,
Nocturnisque dabat canam diffundere ventis
Caesariem, magno fulgore nitescere visam.
Senserat ut domitum nimis indulgere dolori
Suarena, motus ait: dic, Ullin, carmina pacis *
Compositae; tandem mihi mens secura quiescat;
Omnis et armorum strepitus dirusque tumultus
Auribus absistant. Dominantem fluctibus alti
Centum hilarent citharae: non jam nisi laetus abibit;
Neve unquam liquit quis me sub pectore moerens.
Tunc, Oscar, dextrâ strictus mihi fulminat ensis,
Praelia cùm fervent; extemplò conditur idem
Vaginâ, simul ac campo concesserit hostis.
Talia mox Ullin, felici carmine notus.
Morvene rex multis Trenmor degebat ab annis,
Viribus exsuperans, sicut vastum maris aequor
Turbatum; dubiamque viam tentavit ad Arcton,
Incumbens pelago, spumasque ac caerula findens.
Lochlineas tandem rupes sylvasque sonoras
Ante oculos nebulis medias consurgere vidit.
Littore vela legit; sequitur fervoribus aprum,
Gormaleis aprum clivis lucisque frementem,
Qui plures cursu juvenes praeverterat acres;

* Nota C.

Ast dedit exuvias victrici Trenmoris hastae,
Vulnere se versans. Tres hoc insigne videntes
Lochlinei facinus proceres, dixêre potentem
Advenisse virum, magnum qui montibus ignem
Flagrantem referat cinctus radiantibus armis.
Ocyùs indixit convivia lauta tyrannus
Lochlinis; acciturque heros virtutibus asper;
Tresque dies festos procerum nutrice potentum,
Gormale rex egit Trenmor, certamina miscens
Quae libuit; nemoque fuit tam robore firmus,
Trenmoriis demùm fessus quin cesserit armis.
Mulcebant animos paterae; cantusque ferebat
Laudibus immensis dominantem Morvene regem
Ante alios fortem, fortesque in bella legentem
Heroas, pelago subiit qui Lochlinis oram.
Post, ubi quarta dies ortus ostenderat almos,
Deduci Trenmor praecepit in aequora navem;
Fertque refertque gradum curvo sub littore, donec
Missus Hyperboreus replerit carbasa ventus.
Jamque audit mediis longè crebrescere sylvis
Murmura, cùm properè quidam succedit ephebus
Candidus et rutilis humeros circumdatus armis.
Aurea caesaries olli est, malaeque rubescunt;
Dextra nivem puro superat candore recentem;

Caeruleique nitent oculi vultusque benignus.
Trenmora mox dictis invadit, praelia poscens:
Siste gradum, Trenmor studiis asperrime belli;
Lonvalis haud magni gnatus tibi cedit in armis,
Qui plures fortesque viros compescuit ense:
Qui porrò vesci cupiat coelestibus auris,
Ex acie cedens, illius spicula vitat.
I, decus eximium, juvenis formose capillos,
Rex ait armisonus: nolo concurrere cuivis,
Carmine quem nondum tollunt ad sidera vates.
Candet dextra tibi mollis, nec robore praestat.
I, pete capreoli rupes, lux alma juventae.
Ille sub haec: ibo, postquàm te fortibus armis
Exuero: facinus tantum nec parva sequetur
Gloria. Convenient nymphae, densâque coronâ
Stipabunt juvenem, magno qui robore regem
Stravit humi: gremio suspiria mollia fundent,
Cùm tibi detractum gladiumque hastamque vide-
Quìn tua tela gerens miscebor millibus heros, [bunt.
Accumbensque epulis, summo decorabor honore.
Non mea tela geres aeternùm, percitus irâ,
Mox Trenmor: potiùs pallescere littore mater
Te tua conspiciet, pelagoque volare profundo
Vela viri, saevo stravit qui vulnere natum.

Haud pilum attollo; nec me robustior aetas
Firmat adhuc, fateor; verùm mea recta per auras
Avolat ex arcu multosque sagitta subegit
Heroas bello. Loricam projice duram,
Quae te sola necis tenui discrimine servat,
Projicioque meam: jamjamque immitte sagittas.
Virginis hîc pectus passis prodire capillis
Prospexit Trenmor niveum; regisque sororem
Agnovit. Versos in Trenmore fixit ocellos
Haec aulâ fratris, longumque bibebat amorem.
Obstupuit visu tanto fortissimus heros:
Labitur hasta manu; torpent in corpore vires;
Demittitque oculos humilis, terramque tuetur.
Nympha micabat enim, veluti lux aurea Solis,
Quâ videt Oceani latum splendescere campum
Conversus, caeco prodit qui rupis ab antro.
Morvene qui regnas, dixit nivis aemula virgo,
Me sine nave cavâ tecum salis ire per undas
Diversam Corlâ, mens quem fastidit amantem.
Non secus ac fulmen, terroribus Innibaccam
Exagitat; volvitque ferox sub pectore fastus
Ingentes; campoque hastilia mille coruscat.
Post clypeum requiesce meum, pulcherrima virgo,
Trenmor ait: quamvis hastas quis mille coruscat,

Non illum metuo; nec mos mihi vertere tergum.
Inde dies ternos, cornu resonante, remansit;
Et Corlam è campis clivisque in bella vocabat.
Noluit at Corlas belli tentare pericla.
Turribus intereà descendit Lochlin * ab altis,
Extruxitque dapes, celebrans nova gaudia plausu;
Morvenis ac domino lectam dedit inde sororem.
  Ergo †, victor ait Phingal, mea, Lochlinis ô rex,
Fervidus iste tuus peragrat praecordia sanguis.
De summo nostri moverunt bella parentes
Imperio, clarumque tenent per saecula nomen:
Verùm saepe suis olìm genialibus aulis
Mutua curârunt convivia; saepe vacârunt
Muneribus festis paterae, fidibusque canoris.
Pelle animis hastas; cithararum carpe levamen.
Pontus ut horrisonus vastis surgentibus undis,
Prompsisti vires; ceu clamor mille phalangum,
Pugnantum medio confusae stragis acervo,
Vox tibi personuit. Cùm prima refulserit Eos,
O mihi dilectae frater germane puellae,
Carbasa da ventis: nunc illius alma venustas,
Sol veluti coelo medius, mihi mente relucet.
Te propter niveam vidi plorare sororem;

* Fòrs ab hoc rege vel ipsa regio nacta est nomen.

† Nota, D.

Cùmque meus fureret gladius, tibi parcere norat,
Quamvis ingentes animo exarsêre dolores.
Si certare juvet, dabitúr committere pugnas,
Quas posuit Lochlin, queis Trenmor victor abivit:
Inde domum partâ referes vestigia famâ,
Monte velut Solis condit se lucidus orbis.

Non ego, tum Suaren, tecum, rex inclyte gentis
Morveniae, cui nec multis in millibus unus
Par est, certabo. Patris te limine vidi;
Nec mihi tunc aetas multos adduxerat annos;
Versabamque animo, memini, quo tempore possem
Phingalis in morem validi consurgere in ensem
Sublatum; manibusque manus sub Malmore quondam
Miscuimus, postquàm, spumosa per aequora vectus,
Successi Selmae dapibus paterisque refertis
Hospes Hyperboreus. Ventura in saecula mittent
Qui fuerit victor deducto carmine vates.
Hoc etenim famâ multis memoratur in oris
Certamen. Plures delatae Lochline naves
Abductâ squalent turbâ, perque aequora Lenae
Demessâ gladio: tibi, Phingal, munera sunto;
Aeternùmque fave magno mihi foedere junctus.
Communi nobis Lochlin sub lege prematur.

Cùm tua Gormaleas proles advenerit aedes,
Extructis dapibus certaminis inter honores
Gestiet, atque animos tollet super aethera plausu.
  Immo, rex inquit Phingal, tum voce secutus,
Hae tibi sint, Suaren, naves *, sit saxea Lochlin.
Sat patrum deserta mihi, sat roscida Morven
Fluminibus, sylvaeque meae, cervique fugaces;
Tuque, Agandaecae frater germane, profundum
Classe seca primi sub lumina Solis et ortûs.
Carbasa da ventis, da te surgentibus undis,
Gormaleumque subi clivum lucosque sonantes.
  Optime rex †, Phingal, pateris liberrime princeps,
Admiratus ait Suaren, quùm pace quiescis,
Veris es aura tepens; turboque, ubi praelia misces.
Morvenis armipotens regnator, jungere dextrae
Da dextram: laudentque tui plorentque peremptos
Morte viros almi vates; Erinque sepulchro
Corpora per campum mandet dejecta meorum;
Extruat ac Lapides famae monumenta perennis.
Quùm gelido nostri veniant Aquilone Minores,
Quo patres campo moverunt bella notabunt;
Et medius tumulis venator talia secum:
Hìc Phingal Suarenque, animosi pectoris ambo,

* Nota, E. † F

Centenis olìm pugnas inière catervis.
Haec venator iners: nos fama manebit in aevum.
Tum contrà* Phingal: nunc nunc nos maxima
Gloria, rex pelagi, tollit. Ceu somnia noctis, [laudis
Ibimus hinc pulsi; strepor omnis et arma silebunt
Nostra jubente die; nec quâ tellure premamur
Depositi noscet, cursu qui devia lustrat.
Nec multum est famâ volitare per ora virorum
Nomina, quùm tumulo torpent ad fortia dextrae.
Ossianes cantu Carrilque Ullinque valentes,
Ante oculos vobis sublapsa recluditur aetas;
Defunctosque diu proceres memorare potestis.
Praeteritos revocate dies; hanc fallite noctem
Carminibus: properetque utinam laetabilis Eos.
Fudimus ore melòs; facili certamine centum
Dulces consonuêre lyrae, vultusque reluxit
Suarenis, ut, victis de nocte per Æthera magnum
Nubibus, extemplò nitidum Luna explicat orbem.
Talibus inde sonis longaevum Carrila Phingal
Alloquitur, secum Cuchullina mente revolvens.
Heus† ubi Semonis natus, cui roscida servit
Insula? Da nunquìd, lapsum velut Æthere sidus,
Conditur ad Turam validis dux inclytus armis?

* Nota, G. † H.

Conditur ad Turam, vates ait obsitus aevo,
Cuchullin, validis olìm dux inclytus armis :
Neve manum gladio, tristive avertere bello
Ipse potest animum. Multo sublimis honore
Hastarum luget dominus ; tibi, Phingal, habere
Donat avi gladium Cabadis. Quippe fugasti
Lochlinidas magni grassatus turbinis instar.
Excipe, rex, ergo, tantus quod gesserat heros,
Vulnificum ferrum : tenues evasit in auras
Lausque, decusque viri, magnum et memorabile
Ut nebulae rapido depulsae valibus imis [nomen,
Flamine, quaeque sui vestigia nulla relinquunt.
Illius haud capiam gladium, rex optimus inquit:
Namque est Cuchullin nitidis acerrimus armis
Bellator ; fortemque virum sua fama sequetur.
Obruerat tenebris plures sors aspera belli,
Qui micuêre novo congressu. Pectore curas
Pone omnes, Suaren, nemorosae Lochlinis ô rex.
Quamvis devictus cedat quis ab equore campi,
Inclytus est, totis si viribus ivit in hostem :
Sic Sol Æstivus caput inter nubila condit ;
Rursus at erumpens viridantes despicit agros.
Dux Conae, multis Grumal certamen inivit
Littoribus ; rabieque maris nigrâque procellâ,

Armorumque sono gaudebat fervidus heros.
Appulit hic Cracae lectissima robora pubis,
Rex ubi digressus luco circoque redibat
Brumonis, Lemurum postquàm venerabile saxum
Supplicibus fuerat votis affatus in armis.
Ocyùs ob niveam miscentur praelia nympham
Aspera: nam Conâ nomen famamque decorae
Anniris audivit Grumal; mentique sedebat
Hanc sociare sibi, certove occumbere letho;
Lucida tèrque diem pugnamque Aurora reduxit,
Vinctus et est Grumal, manibus post terga ligatis;
Cùmque foret procul à patriâ turbâque faventum,
Brumonis clausus circo est sub rupe cavatâ.
Audiit hîc Lemures caecas ululare per umbras
Horrendum circa Signum. Verùm inde refulsit,
Ætheris extinctus ceu rursum accenditur ignis.
Armipotente manu crudelem perdidit hostem
Victor, et in solido nomen famamque locavit.
Quare agite, ô vates, lustrat quos cana senectus,
Exanimûm heroum laudes attollite dictis,
Suarenis et curas luctumque repellite inanem.

Procubuêre viri; fundunt stridentia crines
Flamina; mox centum voces centumque sub auras
Dulce sonant citharae. Sublapsi temporis aevum

Concentus repetit regesque ducesque potentes.
Mî quando talis replebit amabilis aurem
Concentus, quandove hilarabunt talia mentem
Gaudia? Si sperem, subitò spes irrita cedit.
Ah! caret argutis moestam per Morvena chordis
Barbitos; haud resonant Conam discrimina vocum;
Namque almi proceres obitu vatesque quiêrunt;
Lausque, decusque plagis exinde refugit ab istis.

Vix tremit orta dies pelago, Cromlamque recludit,
Cùm Lenam Suaren raucis clangoribus implet,
Lochlineas cogens gentes. Hae navibus altum
Conscendunt, tacitumque premunt sub corde dolorem,
Spem simulant vultu. Classem sua flamina vectant;
Morveniaeque instar nebulae vaga carbasa pendent.

Orsus ait Phingal; juvenes, accite catellos
Praecipiti cursu, candenti pectore Brannum,
Magnâ vi Nertym Cherrumque acremque Luathum
Naribus. I, praepes Follane; i, Roena*—sepulchro
Roena jacet, gelido membris languore solutis.
Protinùs, ô Follane ac Fera, cornua magnum
Undique dent sonitum; collesque lacusque resultent
Laetitiâ; cervique metu capreaeque fugaces
Exiliant stabulis deserta per avia Cromlae.

* Nota, I.

It sonitus sylvis; linquitque ignavia somni
Laetam venantum turbam; lorisque soluti
Mille ruunt acres catuli. Jàm quisque catellus
Sternit humi cervum; tres Brannus dejicit unus,
Dentibus ac tractos sistit mox Phingale coram.
Scilicet ardebat domino dare guadia moesto;
Jamque redit patris dolor altâ mente repostus,
Aspicit ut contrà Roenae requiescere saxum,
Venandi fuerat studio qui fervidus olim.

Amplius haud proceres inter conviva sedebis,
Rex, inquit; mi gnate, jaces, nunquamque resurges.
Evolvenda dies tumulum tibi conteget herbâ.
Surget pejor avis aetas; ignavaque proles
Nesciet hâc quales heroes mole premantur.

Quod superest, reliqui, mea magna potentia, nati,
Golle, catervarum ductor, cui fulminat ensis
Caeruleus, mecum Cromlae conscendite clivum.
Invisendus enim, Turae qui luget in antro,
Ductor ab Alatâ, debellatorque phalangum.
Istane fòrs altae surgens arx culmine rupis
Tura est? Dux misero turbatur pectora bello
Hospitibus felix; aulâ lugubrè siletur,
Regifico notâ luxu paterisque refertis.
Armorum ad dominum tendamus; mente jacentem

Jamjam solemur coràm, lectosque sodales.
Istene Cuchullin? volitansve per aëra fumus?
Flamina namque obstant penitùs ne visere possim.
Est, Follanus ait, superat cui laeta juventus,
Est est Cuchullin, Semonis maxima proles.
Plura movens animo reticet, gladiumque capessit.
Salve! tum Phingal, qui scuta ingentia frangis,
Armipotens ductor: salve! rex optime regum,
Ocyùs, ore secuta, refert Semonia proles;
Te stipans valeat praeclara corona virorum.
Morvenis ô felix princeps, invictaque bello
Dextera, conspectum laetor te reddere coràm.
Tu Sol es, magno Cromlae qui devia lustrat
Orbe redux, postquàm venator luxerat illum
Deerravisse; micant circùm, ceu sidera, nati.
Non me squalentem vultu, non pectora curis
Turbatum, Phingal, vidisti Morvene quondam,
Cùm rerum domini*, fracti victricibus armis,
Montibus è nostris issent, fremeretque triumphus
Per colles liquidosque lacus lucosque profundos.
Copia larga tibi verborum est, inglorius inquit
Mox Connan†: nimiùm jactas, Semonia proles:
Concilioque ducum prae millibus obstrepis unus.

* Romani. † Nota, L.

Ast ubi sunt manuum haec ingentia facta tuarum?
Quò nos oceani tumidas trajecimus undas,
Auxiliumque tibi tulimus certamque salutem?
Tu fugis ex acie; Turae te condis in antro;
Ipse tuas ineo pugnas dìscrimine lethi.
Qui latitas igitur, nec quam spem ponis in armis,
Da mihi quae frustrà gestas fulgentia tela.

Non mea bellator quisquam tela ante poposcit,
Indignatus ait Cuchullin; neve dedissem
Poscenti, Connan, juvenum ignavissime; nec jam
Ex acie cessi, luctum sub pectore versans,
Donec tot ruerant proceres, tot fulgura gentis
Erineae, populusque immani clade peremptus.

Talia quò spargis, dum non specteris agendo,
Excepit Phingal, Connan, cui dextera friget.
Sat jam Cuchullin bello ductisque triumphis
Enituit: quas posthàc cunque subiverit oras,
Pectora concutiet virtute ac fortibus armis
Horrificus: multis famâ memorabile nomen
Iste plagis misit viridis dux Phallidis altus.

Maxime Cuchullin, celso da candida malo
Lintea, teque mari. Reducem te patria tellus,
Insula rore madens telisque asperrima duris
Accipiat. Claro Sorglani sanguine cretam,

Respice mente memor Bragellam. Saucia curis,
Humectansque genas, pelago pia lumina figit
Littore in extremo: per tempora sibilat Eurus,
Undantesque comas niveo sub pectore miscet.
Captat hians atrae volitantia murmura noctis,
Remorumque sonos: longè resonare per undas
Ipsa tuum credit cantum citharaeque levamen.

Credit, at incassùm, tristis tum reddidit heros:
Fractus enim bello, positis inglorius armis
Non patrios repetam fines. Quìd namque viderem
Te, Bragella, imo suspiria rumpere corde?
Me gladiis medium mediumque horrentibus hastis
Vincere vidisti, magnorum maxime regum.

Vincere vidi equidem, rursùsque videbere victor,
Phingal ait festo concharum munere notus.
Qualis sub Cromlâ quercus, tua surget in altum
Gloria*; bella manent te plurima; plurima campo
Vulnera jactabis. Delatam appone ferinam,
Lecte Oscar: dapibus cyathisque accumbite plenis.
Corpora curemus; nobiscum gaudia carpat
Erineus rector fortis, fortesque sodales.

Consedêre duces; epulis numerisque vacamus;
Attollitque animos Cuchullin. Robora membris

* Nota, M.

Excelsi redière viri; nova gaudia vultus
Induit explicitus. Referebat facta priorum
Ullin, et hunc Carril dicentem voce secutus;
Additus hisque comes pugnasque virosque canebam
Ipse ego; quos inter strinxi penetrabile telum.
Amplius haud ullum stringam; mihi gloria cessit.
Frigidus ad tumulum sedeo moestusque meorum,
Qui viguêre diu praestanti pectore et armis.

Noctem egit cantus: pelago lux alma refulsit;
Surrexitque toro Phingal, dextrâque coruscum
Concussit pilum. Sese sub littora perfert
Impiger; aere renidentes, nos pone subimus.
Aspirant aurae, laetos date classibus Austros,
Morvenidae, clamat, patriosque requirite portus.
Tollimur inde leves curvato gurgite in altum;
Exultansque* animis, vehitur generosa juventus
Per mare caeruleum latè spumantibus undis.

* Nota, N.

FINIS.

NOTÆ.

NOTÆ

IN

LIBRUM PRIMUM.

A.

Rem aggreditur Ossianes absque ambagibus, ad eventum festinans. Ante Turam, arcem Ultoniae, seu Ullinis, quae provincia est Hibernae ad Aquilonem, sedisse canit Cuchullina, Semonis filium. Quò magis autem hâc imagine defigantur auditorum animi, alia, huc spectantia, nitidé describit.

B.

Fuit Cuchullin Caledonius, insulaeque regnator Alatae*, quae Ebudarum, sive Hebridum tertia est ad Scotiae Occasum. Illic sedem habuit Dunscacidem, quae ad hunc usque diem partìm duravit; marisque fluctibus penè cingitur. Stat juxta Lapis, cui Luathum, canem Cuchullinis venaticum, ligari solitum memoriae proditum est. Vir erat fortissimus : si quis nos inter robore cursuque praestet, Cuchullini comparatur. Illius lethum nobili ploravit carmine Ossianes.

* Anglicè Sky.

C.

Gaëlica, seu Celtica vox haec, Moran, significat multitudinem : nomenque est fòrs poëticè inditum timido littoris marisque exploratori.

D.

Pro cyathis Majores nostri quibusdam patulis utebantur marinis conchis; atque hunc morem ad ultima servatum tempora vidimus.

E.

Fuit Suaren Starnonis filius, rexque Lochlinis, quae plaga est Scandinaviae. Caesus est a Gramo, Norveciae principe, qui tertio saeculo diem obiisse supremum dicitur. Vid. Sumhius, rerum Dan. Scriptor. V. I. p. 94, &c.

F.

Selma, Phingalis regia, quae alio quoque nomine ab Ossiane appellatur Taura, et a quibusdam Scotis scriptoribus Beregonium, surgebat è dorso tumuli praeter pelagus; distabatque aequè penè a faucibus sinuum Etive ac Crenan, eam Argatheliae interluentium plagam, quae nunc Lorna superior vocatur.

G.

Morven, Scotiae pars Occidua atque Aquilonaris, aestuarium Glottae inter fretumque Orcadicum concluditur; plagamque montanam complectitur Perthensis praefecturae. Montibus et vallibus profundis intersecatur. Mor-

ven Gaëlicè idem est, ac si Latinè magni montes dicerentur.

H.

Malmor mons est Morvenis; idemque sonat ac ingenti mole mons.

I.

Quàm varia, quàm lucida, vitamque spirans est, quae sequitur pictura, ceu conscriptio! Si tot dissitos locis heroas in arma cogere suscepisset Graiius Homerus, infinitus foret. Rem paucis Ossianes exequitur versibus.

K.

Fuit Connal heros Caledonius conjunctissimusqae Cuchullini. Patrem habuit Colgara.

L.

Dux erat Calmar a Conactâ, quac Hiberniae provincia est ad Occasum. Illius pater dicebatur Matha, sedesque Lara.

M.

Cromla mons est Ultoniae, quae Hiberniae provincia est ad Aquilonem. Mons iste scopulis antrisque asper mirè reddit sonores. Cromlae supercilio sita erat arx Tura.

N.

Mora Hiberniae plaga est; idemque in Scotiâ nomen occurrit. Nec mirum: qui etenim nos inter gentem â

priscis ducunt Caledonibus, eâdem, quâ Hiberni, linguâ utuntur.

O.

Phallidis nomine nota fuit olim Hibernia, vel Hiberniae pars.

P.

Hiberniae nomen patrium Erin est; hinc Erigenae.

Q.

Lego plaga est Conactae. Arx etiam, seu sedes Brannonis, cujus filiam, Evirallyna, duxit in uxorem Ossianes, Lego dicebatur.

R.

Albin antiquum est patriumque Scotiae nomen: hinc Albion.

S.

Cona, fluvius Scotiae sat magnus, e monte Nigro desiliens in sinum Etive, sub faucibus ad Atlanticum Oceanum vocabatur Lora; quaeque inde Aquilonem versus ad usque sinum Leven protenditur plaga, montibus et vallibus intersecta, Conae quoque nomine erat nota.

T.

Scipionis instar contendit Calmar bellum inferendum esse hostis finibus.

V.

Hiberniae rex erat eo tempore Cormac ; atque adhuc puerulus. Fuit Phingali necessitudine conjunctus : a rege nam Trenmore, Phingalis proavo, duxit originem.

U.

Cum tragica exponit, praecellit Ossianes. Duchomeris saevitiâ, quod narrat facinus nìl curantis, Murnae solerti virilique virtute, rapidâ oratione, quae totam explicat rem, atque alterno insperatoque percellimur vulnere ; dulcique nescio quâ demersi aegritudine conquiescimus.

X.

Gormal, Lochlinis mons.

Y.

Saepissimè luxuriat Homerus ; in hoc describendo curru, jugalibus, ipsoque Cuchulline Ossianes. Haud dubitandum quìn paucis exposuerit, quae viderat explorator : at erant ea fusiùs proponenda Ossianis auditoribus, quippe qui talibus, utpote jucundis, oblectarentur.

Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci,
Lectorem delectando, pariterque docendo.

Hor. *A. P.*

Didûs violavit historiam Virgilius, popularibus placiturus suis. E rhedis pugnavisse Gallos Britannosque docent Caesar et Tacitus.

Z.

Similitudinibus abundat Ossianes; omnesque abundavêre veteres poëtae. Si harum invenit usum verborum inopia, servat adhuc utilitas: afferunt enim eloquio multum lucis et venustatis. Has autem mirâ seligendi sagacitate quotquot poëtas longè superat Ossianes. Quae in cultioribus civitatibus debentur hominum arti, atque luxuriae, penè ignoravit Caledo; at mundi contemplatus est aspectum; ibique rerum suarum invenit aptissimas effigies. Quae, ut ita dicam, componit elementa, non admodum fòrs multa sunt; sed varia est harum facies, semperque renovatur. Suis autem hîc similitudinibus depingit Ossianes tanti horrorem praelii aptiùs multò, quam, si Homeri in morem, mille heroum funera persequeretur.

a.

Hanc similitudinem prorsus pervertit Anglus interpres, Macphersonus. Quod enim vertit, non intellexerat exemplare. Hoc autem saepiùs esset notandum.

b.

Tempestivè ad hanc se convertit virginem poëta. Sic etenim emollit auditores, luctuque replet. Vix talia Homerus curavit: vel, siquando attingat, tot explicat ambagibus, ut omni destituantur aculeo.

c.

Optimè hac utitur interrogatione Ossianes. Inde quidem fit, ut, prout oportet, tantâ re animos defigamus.

d.

Cessat jam pugna; utque hiabamus, frustrari querimur. Verùm, si nostra paulùm differatur voluptas, aucta hinc renovabitur.

e.

Quamvis non usque adeo patuisset Celtarum hospitalitas, ut ad convivia hostes accerserit, sapienter tamen canit Ossianes Suarena vocatum ad Cuchullinis fuisse coenam. Intelligebat enim neminem hominibus maximè commendari, cui non ea tribuerentur cumulata, quae vulgò plurimi habentur. Id non perpenderat Homerus; illiusque Achilles non omninò amatur.

f.

Sic respondit Hyperboreus iste Polyphemus.

g.

Plena robore sententia! Non quaerit Cuchullin quid minitatus fuerit Barbarus; facilique movet cantum transitione. Apud Albineos Hibernosque populos in magno erat honore cantus: praelia ciebat, honestabat funera, conviviis miscebatur, oculos in dulcem claudebat somnum. Hinc, vacante fabulâ, uti sub noctem fit, aliundè quaesita, plurima decantat Ossianes.

h.

Ullinis, seu Ultoniae.

i.

Gulbin mons est Hiberniae, itèmque Scotiae.

j.

Quem canit amorem Ossianes, tenerrimus est: imis haeret animae sensibus; blandisque perfusus deliciis nunquam eo loci deturbatur. Percurrit quidem venerandus senex quidquid humani corporis aspectu est speciosius; nec ultrà, vel cogitatione, progredi videtur.

k.

Sedebant eo tempore Cuchullin Carrilque ad Crimoris atque Brasollydis sepulchrum; unde fòrs repetenda hujus canendi Episodii ratio.

l.

Nescio utrum amantissimum thalami consortem, fortemve admirer militem: est cur in Cuchulline utrumque admiremur.

m.

En! quintùm nominatur Phingal, cujus oblivisci non sinit nos optimus poeta.

n.

Credebant Caledones circumstare ante cujuspiam obitum morte obitâ figuras. Lugubria autem haec exequitur Ossianes, ut, mox in medium adducendâ, magis magisque Umbrâ Crugalis commoveamur.

NOTAE IN LIBRUM SECUNDUM.

A.

Qui condunt historiam, veritate duce varios ennarant eventus: poëtae autem plurima comminiscuntur, quibus Lectorum animos mulcent; potitique ad virtutis cultum hortantur. Suis tamen conciliant hi quam possunt fidem commentis. Mirum quidem est, quod sub initium hujus libri conspectum fuisse dicitur. Verùm, quae de visis mortuorum Umbris hîc passìmque transdit Ossianes, in vulgi opinionem ubique terrarum facilè conveniunt; quique Crugalis videt Umbram, vir probus est, atque fortissimus. Sub noctem procumbit is, a milite diversus, ad plangentem aquarum rivum, veteremque arborem, foliis atque omni nudatam virore. Obductus musco, est illi pro pulvinari lapis; latè loca circumstrepunt vento. Jam placidissimè dormit heros; ignisque tractum, atque igni insidentem aspicit Crugala, quem vel nos, haec legentes, aspicere atque auscultare coràm videmur.

B.

Anteqùam accesserit institutio, queis valdè percellimur, omnia nos animabus intùs agitari credimus; neque aliam rerum causam explicationemque assequimur. Hinc ea facilè in totidem convertimus homines, aut hominum similia effingimus; omnes adeò, quot sumus, poëtae nascimur.

Hinc etiam apud omnes penè gentes pleraque Diis, Genisve, erant repleta: atque illi ad hominum normam boni malique fingebantur; similibus dicebantur fungi muneribus; similibus colebantur ritibus; diris cruciatibus atque sacrificiis, si crudeliores putarentur; hymnis, musice, choreis, si alacriores.

C.

Defunctas corporibus animas opinabantur Ossianis Populares nìl ampliùs ad ea valere, quae fortiter agebant olìm. Ventos tempestatesque commovebant hae. Quod ad humana attinet, penè torpere intelligebantur.

D.

E superstitionibus vulgi caput exserit Ossianes; satque significat non iis se multùm teneri. Caeterùm, ut ubique, reddit hîc cuique convenientia: providus est Connal, bellumque, suis perniciosum, studet avertere; indè magis est credulus. Totus in armis est Cuchullin, maximèque gloriâ ducitur; quod quidem hominum genus vix unquam vanâ superstitione irretitur.

E.

Non nisi, qui suâ excellit arte, discriminat quae sunt simillima. Talis tantusque describitur Cuchullin, ut nihil eo majus excogitari posse videatur. Attamen, haud ei quid detrahens, alium nostros ante oculos ponit Ossianes heroa longè praestantiorem. Nescit Cuchullin tergum obvertere, quia veretur os Phingalis, in quo quidquid est virtutis, suo tanquam fonte speculoque visum, admiratur.

F.

Non est, cur aegrè feramus Eriginas hâc paulùm obvolvi nebulâ. Mox enim depelletur ea loco; Suarenisque fastum inopino retundi visu gaudebimus.

G.

Qualis qui legat Suaren, illius superbit Legatus; dominumque suum egregiè agit Morla.

H.

Asperis in se conviciis Homeri crudescunt heroes. Cavit Ossianes ne suis id vitio verteretur. Sunt enim graves; sapientiam callent; cum dignitate semet alloquuntur.

I.

Ob officium in Cormacem, adhuc puerulum, caput objectat periculis Cuchullin; ob necessitudinem, atque etiam amicitiam succurrit ei Phingal. Caecâ fertur irâ in Trojam Achilles; vi, summamque per injuriam profugus Æneas novum in Italiâ condit imperium. Itaque eò se magis commendat hoc Ossianis poëma, quod decus et probitatem doceat, suadeatque.

K.

Cuchullina miror equidem; miror et Connala. Arma Cuchullin ardet; pacem laudat Connal. Ex adverso itaque stant: diversa tamen sentientes, mutuo se illi honore, fideque prosequuntur. Nos quoque, sicut Cuchullin, hîc indignamur, atque calescimus. Blandè reprehendit is

Connala, qui saepius pacem laudârat; deinde in iras effunditur nobiles; certusque pugnandi, suos in fortia hortatur.

L.

Nuperrimè ducta fuit in uxorem Dogrena; ideoque nova appellatur hospes.

M.

Jam cecinit Carril: cantuque ejus duce, en! acie in mediâ, mediisque armis confligentibus, prout res postulabat, versamur.

N.

Crochmor ingens est saxeusque mons ad Conae septentrionem.

O.

Hibernorum res est desperata: atque haec abrupta, exultantiaque nuncii verba sat prae se ferunt quanti habeatur momenti adventus Phingalis. Nondum advenerat; advenire tantùm nuciatur. Opportuniori autem tempore in scenam adducetur.

P.

Cum premit fortuna, revocant in mentem viri probi quod vel inviti deliquêre. Est sanè perquàm funebre, quod narrat Cuchullin; at nobile exponit amicitiae amorisque luctamen. Ferdae miserescimus; ipsumque damnamus,

ut minùs justum, et tenacem propositi virum. Si cedendum amori, non eò usque profectò cedendum est, ut amicitiae jura sanctissima violentur.

Justum et tenacem propositi virum
Non civium ardor, prava jubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solidâ, neque Auster,
Dux inquieti turbidus Adriae,
Nec fulminantis magna Jovis manus;
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinae. HOR.

Q.

Protervâ fronte petit maritum Degyl, petit et amantem; egregièque superbam agit foeminam. Dolendum quidem alias ubique gentium inveniri Degylas, Ferdasque alios, quos malesanus vincit pessundatque amor.

R.

Quos summo affici dolore dicit Ossianes, admodum parcè loquuntur. Noverat enim silentium esse quandoque omni oratione eloquentius, ingentesque stupere curas.

NOTÆ IN LIBRUM TERTIUM.

A.

Est Lora sinûs Etive pars torrentissima; sinusque hic ad Scotiae occasum per Lornam superiorem, Argatheliae plagam, diducitur. Sub faucibus angustior est, ingentique hinc indè protensâ rupe asperatur; et, tumente atque detumente oceano, ejus aquae vasto cum impetu, sonituque, longè latèque fuso, in praeceps aguntur.

B.

Erat Lodin Scandinaviae Deus, ad cujus rudem effigiem ex lapide preces effundebat Snyven, quasi sacerdos; unusque erat è Scaldis, qui suos inter Bardorum muneribus magno cum honore fungebantur.

C.

Pulchrum hoc Agandaecae episodium, eò maximè inservit, ut rité feliciterque Phingalèis absolvatur. Quanto sit futurum usui, non adhuc planè perspicimus; brevi autem intelligemus. Dum itaque suam voluerit mentem explicare Ossianes, narranti Carrili, solantique, quà potest, Cuchullina, aures intendamus. Est oratorum, est et poëtarum propriam celare artem.

D.

Non unus Pythagoras terno gaudebat numero, sed et Lochlineus Starno, Caledoniusque Ossianes. Solemnis habitus fuit numerus hic ubique terrarum.

E.

Nihil hac brevi similitudine elegantius.

F.

Supercilium cogit atram in nubem Starno; illiusque ardent oculi. In natam mox ipse fulmen ejaculabitur.

G.

Fortem hanc Mentem, degentem coelo, precatur Cuchullin: nec dubito quin ea sit rerum gubernator optimus, quem nostris nos oculis non assequimur. Non videtur Cuchullini sat de eo constare, quem votis adit: accedit enim dubius. Vulgatissima autem erat Caledonum doctrina de animabus, jam corpore defunctis. Hae quidem nubibus insidere dicebantur, procellasque suscitare: at in iis, quae hominem spectant, constans erat opinio nìl ipsas omninò pollere. Praeter hoc unum Cuchullinis votum, vix quidquam in Ossiane legimus, quod inter Populares suos Religionem sapiat. Haud tamen inde existimandum est Caledones non abundavisse superstitionibus. Ut enim ex certissimis novimus monumentis, tenebantur Britanni disciplinâ institutisque Druidarum. Verùm ab hisce exponendis abstinuit Ossianes, utpote quae, multis implicita ineptiis flagitiisque, damnaverat. Communem porrò, de

visis morte obitâ figuris non est dedignatus opinionem in medium afferre; quae, sin vera, ferenda saltem erat; mirificèque inserviebat poësi.

H.

Obtuso sit oportet ingenio, qui brevem hanc nitidamque tempestatis descriptionem non admiratur.

I.

De futurâ Phingalis victoriâ non ipse animi confidentissimus dubitat Calmar: atque vel hinc eminet Phingalis virtus, quae ab omnibus laudatur.

K.

Quod committitur Connali Carrilique munus, obire vel ipse potuit Carril. Noluit tamen vir gravis, Connal, projicere animam absque ullo commodo. Haud igitur obstitit Cuchullinis imperio, quem planè videbat certum perdendi Suarena, ubi vir viro congrederetur, aut mediis pereundi hostibus.

L.

Ruit vis expers concilii. Praecipiti erat animo Calmar; caecoque pugnabat Marte: vulneribus ergo confectus obiit; nec quidquam tantis dignum promissis et hiatu gessisse fertur.

M.

Non admodùm dissimilis est Virgilii locus, ÆN. V. v. 586.

Ut pelagi rupes, magno veniente fragore,
Quae sese, multis circumlatrantibus undis,
Mole tenet: scopuli nequicquam et spumea circum
Saxa fremunt, laterique illisa refunditur alga.

N.

Mira est, hoc loci, Ossianis ars. Si, cum Suarene congressus, occumbat Cuchullin, suae barbarus atroxque rex sorti, Suaren, aeternùm gratulabitur; si verò caedatur Suaren, inutilis erit Phingalis adventus; poëtaque in arctum, unde referre pedem non poterit, desiliet. At relinquit Erigenas Suaren; cursuque praecipiti ruit in Phingalidas; atque ita omnia ritè servantur.

O.

Quis tam ferreus est, ut tanti nunc primùm infausti viri gemitu non moveatur? Exit is è scenis. Indè Phingala nos toti spectabimus, admirabimur, diligemus.

P.

Quàm bonus est Morvenis rex! Sui suorumque videt hostem, Suarena; non tamen ut hostem agnoscit, sed ut dilectae fratrem Agandaecae.

Q.

Non solùm canit Ossianes, sed rei quam canit, est ipse pars magna. Qua propter, ubi quid narrat, commove-

tur, effervetque. Comparat porrò senectutis damna cum iis, quae fortia gesserat juvenis; ipsumque admiramur, unàque miserescimus.

R.

Enitet ubique amabilis adolescens, Oscar. Gloriâ maximè ducitur, totusque avi tenetur admiratione. Est cur tanto magistro, tantum edocenti discipulum, animos benignè advertamus.

S.

Phingalis erat genitor Comal: at de ipso altum est hîc silentium, quià fòrs turbidior fuerit bellator.

T.

Gens, seu ditio, glomeratave Phingalidarum phalanx, dicebatur Phennis.

U.

Optandum foret maximos quosque duces praeceptis institutisque abundavisse Ossianis. Homero utebatur magistro Alexander; pluresque extiterunt Alexandri; unus at Phingal.

V.

Gollus, filius Morni, princeps erat gentis, quae de rerum summâ diù cum Phingale contenderat. Debellatâ eâ tandem, Phingali mirâ devinctus fuit inde amicitiâ, magnusque habebatur bellator. Erat is tamen animi, quàm par, fidentior; atque, ut ex hoc patet carmine, aliquantulúm invidus.

NOTAE IN LIBRUM QUARTUM.

A.

Quoniam, quae fortia gesserat hoc Hiberniae bello amantissimus Malvinae Oscar, nunc recensenda sunt, optimè ea totam rem audire fingitur. Cum autem advenisset, narraturus erat Ossianes apparuisse sibi dilectae Umbram Everallynis, monentem ut periclitanti subveniret filio. Altiùs hinc orditur poëta, suosque canit amores, commissamque cum aemulo Cormace pugnam: atque ideò paulùm digredi videtur.

B.

Senectae damna saepiùs, ut hîc, cum juventute suâ fortique aevo comparat Ossianes. Hinc ejus olorina queremonia, quâ tantopere movemur.

C.

Ad rem revertitur suam poëta.

D.

Sapienter fingit Ossianes patrem secessisse acie, tumulumque occupavisse: namque revertentis magis magisque

ideò lucebit virtus. Mox Fabii instar descendet; confidentissimum animi armorumque liberabit Gollum; Suarenique eripiet victoriam.

E.

Nonne vel Jovi Statori, Romanas sistenti fugientes acies, simillimus est Morvenius Phingal?

F.

Innovatur pugnae facies: heroum erumpit alacritas mira, aliis aliisque verbis prolata; pulchrèque, ut par erat, Phingali reservatur Suaren.

G.

Cum praelia describunt Homerus et Ossianes, alias omnino ineunt vias. Plurimos coäcervat casus Homerus; unum aliumve seligit Ossianes; totusque huic ornando immoratur. Si quis medium inter utrosque tetendisset iter, omne fòrs tulisse punctum jure meritoque diceretur.

H.

Hanc tantae effigiem pugnae cum quâdam Virgilii descriptione, quae Georgicorum I. v. 322. legitur, comparare fas est: nec admodum absimilis videtur.

Saepe etiam immensum coelo venit agmen aquarum,
Et foedam glomerant tempestatem imbribus atris

Collectae ex alto nubes : ruit arduus aether,
Et pluvia ingenti sata laeta boumque labores
Diluit ; implentur fossae, et cava flumina crescunt
Cum sonitu, fervetque fretis spirantibus aequor.
Ipse pater mediâ nimborum in nocte corusca
Fulmina molitur dextrâ, quo maxima motu
Terra tremit ; fugêre ferae, et mortalia corda
Per gentes humilis stravit pavor ; ille flagranti
Aut Atho, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo
Dejicit ; ingeminant Austri, et densissimus imber.
Nunc nemora ingenti vento, nunc littora plangunt.

I.

Uno hoc magis afficimur casu tenerrimo, quam mille, ab Homero fusè expositis.

K.

Quis non hanc commendet spirantem picturam, miramque vatis solertiam, quâ suus quantuscunque servatur Cuchullini honos, nihilque de Phingalis gloriâ detrahitur ?

NOTAE IN LIBRUM QUINTUM.

A.

Minorum exposuit heroum pugnas nostros ante oculos Ossianes. Phingali nunc atque Suareni congressis astituri sumus; horumque certamen sapientèr discriminatur.

B.

Paucis exequitur poëta Caledonius optimi regis laudes. Agamemnona vocat Priamus beatum ob ejus copias populumque. Il. 182. Populum hîc Connal ob regis virtutes.

C.

Rem auget suam Ossianes poëtarum in morem. Haud credit ipse, quae profert mira; nec credi posse sperat. Talibus in medium allatis, id unum significat, maximum fuisse duorum fortissimorum regum luctamen.

D.

Devicto Suarene, vulgaris operi finem imponeret poëta. Non ita Ossianes; majorque Phingala manet adhuc victoria.

E.

Phingalis admirati sumus fortitudinem: admiremur et lacrymas. Homo est; ipsum tangunt mortalia. Non tamen

flet diu. Sciebat enim Ossianes citiùs lacrymam arescere.

F.

Quippe graviter fuerat vulneratus Orla, quamvis id, datâ operâ, huc usque celaverit Ossianes.

G.

Non quae bellum solummodò, sed etiam quae pulchram sapiunt pacem, commendat Ossianes.

H.

Per primos septem libros Iliados vix apparet maximus Homeri heros, Achilles ; perque alios quinque altum est de illo silentium. Phingalèidos tertio prodit in campum Phingal : saepè tamen fit antè ejus mentio ; acritèrque expectatur. Quo primùm apparet ipse, recedere nostro è conspectu Cuchullina deprehendimus, votisque vel moestum prosequimur. Hunc posteà quandoque longè aspicimus ; tantique viri fidissimum sodalem, Connala, admiramur.

I.

Dicuntur poëtis poëtae invidere : at summa est Ossianis Carrilisque urbanitas ; summâque hi amicitiâ obstringuntur.

NOTAE IN LIBRUM SEXTUM.

A.

Quod pingit Ossianes, valdè pingit, sive id lugubrius sit, sive laetius; lectoresque suos in se rapit, adeòque movet, ut, quidquid ipse sentit, imis id praecordiis sentiant.

B.

Phingalidarum potus admodum parcus fuisse describitur: mentem serenabat; cantum et nobile ciebat colloquium. Non horum poculis misceri venenum puerulus credidisset Cyrus.

C.

Sicut Phingalis et Agandaecae episodium huic feliciter concludendo poëmati aptissimum erat, sic etiam Trenmoris et Innibaccae eodèm tendit; ideóque decantatur.

D.

Ossianis omnes vi pollent orationes, nitentque venustate; haec autem longè est pulcherrima. Domandus erat atrox Suarenis animus; quatuorque maximè obstabant, mutuum Caledonum atque Lochlinidarum odium, Phingalis et ipsiusmet Suarenis inimicitiae, hujus devicti pudor, studium-

que recuperandi quam amiserat famam. Hâc autem oratione ista omnia suaviter fortiterque amoventur.

E.

Ab alienis appetendis adeò se abstinuit Phingal, ut, quae post partam victoriam sibi jure vindicare potuisset, oblata renuat accipere. Non hâc erat indole Achilles. Cum enim reddidisset Priamo corpus Hectoris, seque a Patrocli ideò excusari precaretur Umbrâ, non, ut potuit, id tribuit humanitati, non Jovis imperio, matrisve Thetidis, sed acceptis minimèque spernendis muneribus. En quam pingit honestatem Homerus! Verum ad Euripedem veniamus. Argivorum rex, Adrastus Atheniensem adit regem, Thesea, futurum sperans ut, eo auctore, Thebani extinctos bello sepelire sinant. Asperior fit in supplicem hospitem Theseus, illiusque rejicit aequissimas preces. At, matris tandem motus consilio et eloquentiâ, Thebanis infert bellum, victorque in Adrastum conviciis adhuc debacchatur. Apparet interim, uti placet poëtae, Minerva; suadetque Atheniensi praemium ópis laborisque postulare. Talis est alterius Graeculi virtus, decusque. Morvenius autem Phingal, ubi certior fit periclitari Cuchullina, succurrit ipsi, liberat Hiberniam, socium solatur victum, et magnis effert laudibus; adeòque temperans est ut non solum ab ipso nihil expectet, verùm etiam quae fractus volensque communis obtulerit hostis munera, recuset.

F.

Magnificè tandem de Suarcne triumphat Phingal. " Nulla

quidem, ut inquit Marcus T. C. est tanta vis, quae non ferro atque viribus debilitari frangique possit." Ast animum lenire Suarenis nulla potuit validissima dextera : id una confecit Phingalis mira indoles, bonitasque; hostemque immanem, penitùs mutatum, amicitiâ ille sibi devinxit sempiternâ. Hinc iis, qui nos per injuriam laesêre, obviam eamus, benevolentiâ instructi, jucundissimamque victoriam spe praesumamus.

G.

Quae sequitur Phingalis doctrina, non est ei multum dissimilis, quam tradit M. T. Cicero in Somnio Scipionis. "Igitur altè spectare si voles, inquit Scipio Africanus, "neque te sermonibus vulgi dederis, neque in praemiis "humanis spem posueris rerum tuarum: suis te oportet "illecebris ipsa virtus trahat ad verum decus. Quid "de te alii loquantur, ipsi videant; sed loquentur tamen. "Sermo autem omnis ille et angustiis cingitur iis regio- "num, quas vides; nec unquam de ullo perennis fuit; et "obruitur hominum interitu, et oblivione posteritatis ex- "tinguitur."

H.

Sapienter de victo fortissimoque viro, Cuchulline, mentio fit: namque indè recreetur carpatque solatium Suaren necesse est. Eò quoque tendit quod de Grumale subjicitur episodium.

I.

Mediocres poëtae huc illuc discurrunt, ea perquirentes, quibus valdè lectores commoveantur; qui verè poëta est, invenit ea recto tramite.

K.

Refert Conan Homeri Thersitem; perque Ossianis carmina notatur passim verborum animique audaciâ. Si quis nos inter indulgeat rixis, manuque sit futilis, huic solet Conan comparari. Non solùm probos, sed etiam malos describit mores Ossianes; atque hos utrisque ponit limites, quos lucem inter umbrasque facilè agnoscimus. Nemo itaque ab eo, virtutis deceptus specie, in vitium trahitur.

L.

Quae corporis immunia sunt, his plerùmque describit Ossianes, quae ad corpus attinent; nec poterant aliter ea primitùs enunciari. Iste porrò dicendi mos poësim sapit magis, quae pictura est; majoremque prae se fert solertiam ingenii, quod in diversis coäcervandis, atque inter se comparandis, plurimùm versatur.

M.

Qui poëmatis epici profitentur leges, faustum exitum solent praescribere; talem Ilias, talem habet Æneis. Attamen Hectoris funere, Turnique nece, aliquantùlum contristamur. Totus autem ridet prospectus sub finem Phingalèidos: liberatur Hibernia; remittitur liber in regnum

Suaren; recreatur Cuchullin; redeunt ovantes in patriam Phingalidae.

E Melchiore Cesarotti, qui Phingalèide illustrandâ mihi praecurrit, plura huc traduxi, more meo digesta; eòque libentiùs, quòd cum alienigena sit, summoque vir ingenio, et litteratissimus, ab aequâ proficisci aestimatione videbuntur laudes, quibus effert Ossianem. Jamque propositum exegi opus: superest ut gratias agam, quín imò habeam, maximas iis optimis viris, qui defessum labore, me recreabant hortatu; abberantem recto tramite, me reducebant in viam doctrinâ.

FINIS.

ERRATA.

Pag.	lin.	corr.
6.	4.	imprimisque
27.	19.	jamque
34.	14.	placidi
—	15.	concessu
—	19.	peccat
48.	17.	experientiâ
49.	6.	lingua
51.	9.	Teucrorum
52.	3.	Phrygia
—	6.	aquae
—	13.	poëta
52.	22.	quod molle,
59.	4.	totum
66.	22.	purisque
67.	6.	qui
77.	2.	recludunt.
79.	19.	viridi
98.	23.	ingeminat;
106.	19.	refert,
130.	9.	fluctûs
143.	4.	extemplò
154.	11.	agnoscens
191.	11.	vallibus.
—	19.	aequore